

Tomus IV.

DISSERTATIONES, AC DISQUISITIONES,

Bibliotheca In Veteris Testamenti Libros, *titul.* Sch. Pia.

AUTHORE *titul.* R. P. D. AUGUSTINO CALMET, Ordinis

S. Benedicti Congregationis SS. Vitoni, & Hidulphi,

LAUREATIS HONORIBUS
ADMODUM REVERENDORUM,
PRÆNOBILIUM, NOBILIUM,

EXCELLENTIUM, AC CLARI-

SIMORUM DOMINORUM DOMINORUM

SS. THEOLOGIÆ

DOCTORUM,

DUM

Joannis *titul.* In Alma Episcopali Societatis JESU
Universitate Cassoviensi

In Academ. SSS. TRINITATIS Basilica

Anno MDCCCLII. Mense Septembri, Die VI.

Supremâ Doctoratûs Theologici Laureâ
donarentur,

PER REVERENDUM PATREM

FRANCISCUM PINKA

è Societate JESU, SS. Theologiæ Do-

ctorem, Ejusdémque Professorem

Ordinarium, ac Inclytæ Facultatis

Theologicæ

DECANUM SPECTABILEM,

Ab Ejusdem SS. Theologiæ Auditoribus oblata.

CASSOVIAE, Typis Academicis Soc. JESU.

280.357)



ADMODUM REVERENDI,
AC
CLARISSIMI
DOMINI DOMINI
NEO-DOCTORES
THEOLOGI.



Onstitistis in Templo Hono-
ris, ac Apostolici instar Sena-
tus consedistis, Admodum
Reverendi, & Clarissimi Do-
mini Neo Doctores Theolo-
gi. Purpuratus hic VESTER confessus nos ad-
monet, ut, quæ è VESTRA dignitate in nos re-
dundavit, lætitiae non obscura demus argumenta.
Facimus id perlibenter honoris VESTRI dudum
jam studiosissimi; Purpuram, qua Regina Scien-
tiarum Theologia VO^S ornavit, gratulamur de
VESTRO splendore latissimi, quaque eam VO-
BIS comparastis, meritorum magnitudine oble-
ctamur jucundissimi. Nec immerito: quanto si-
quidem honestius est mereri purpuratum Docto-
rem fieri, & industria, ac labore perficere,
ut

ut cùm quis Doctor factus sit, meruisse videatur,
tantò VOBIS gloriōsius, nobis jucundius est VE-
STRORUM recordari meritorum. Recordarè
dixi meritorum, non ea percensere; nam et si
eorum copia inopes, & VESTRA modestia elin-
gues nos faciat, nihilominus quemadmodum hac
non vetat, ne cogitemus, ita illa non prohibet,
ne magnitudinem, multitudinemque admiremur.
Silebimus itaque sublimitatem animi VESTRI,
qua unà supra ceteros VOS attollit; illam am-
plissimi ingenii facultatem; præclaram eruditio-
nem, qua scholasticos inter parietes privatim
æquè ac publicè in Eruditissimorum Virorum con-
fessu Nomina VESTRA immortalitatè commen-
dastis; illas animi dotes, quæ summos, infi-
mósque VOBIS devincire soletis; labores illos
Apostolicos, quos posteaquam ad sudorem usque
strenui Apostolorum Sectatores exantlastis, ni-
hil actum creditis, cùm quid superest agendum;
plurima animarum spolia, quæ orco eripuistis;
illæ quæ hæreticorum antesignani celant quidem,
ast celando ostentant sibi à VOBIS inflicta vul-
nera; illam denique, quam iidem vel invitè
in juratis suis hostibus Virtutem collaudant.
Etiam nobis tacentibus loquuntur quaternæ A-
postolici Regni nostri Aulae Apostolicae, quibus
ita VOS probatis, ut amore unà & favore pro-
merito si non invidiam, stimulum certè ad He-
roicam virtutem, & indefessum Sapientiae stu-
dium ceteris inspiretis; alii causas audiatis arbi-
tri aquissimi; ex acceptissimis sitis universi pro-
pterea, quod vel lucem ad illuminationem Gen-

tium

rium hauriatis avidissimi , vel antea haustam
affidui in alios dispergatis speciosa Ecclesiae Hun-
garicae Luminaria . Tanti cum sitis , munus ma-
gnitudine VESTRA dignum ne expectate . Eru-
ditas CALMETI Viri Eruditissimi juxta ac Re-
ligiosissimi in sanctas Paginas DISSERTATIO-
NES , ac DISQUISITIONES nostræ in VOS
observantia argumentum benevoli suscipite ,
sique ex illis parum in VOS decoris accesserit ,
non eis , sed magnitudini VESTRÆ tribuite .
Caterum de VESTRO judicio in hoc opusculum
non diffidimus , neque ut benevoli sitis acrius ur-
gemus ; causæ enim diffidit sua , qui multis pro ea
perorat . Vivite proinde , dumque mitratos
VOS olim , suisque columnas venerabitur Pa-
tria nostra , quod nec ex vano auguramur , &
ex animo vovemus , ampliora volumina VE-
STRÆ dicanda munificentia præstolemini

PURPURATIS
IN THEOLOGIA
HONORIBUS VESTRIS

Addictissimi
THEOLOGI
CASSOVIENSES.

D. O. M. A.
ACTUS SOLENNIS
THEOLOGICÆ
PROMOTIONIS,
IN QUO
SUB AMPLISSIMO, & REVERENDO PATRE
JOANNE BAPTISTA
HÁVOR,

è Soc. JESU, SS. Theolog. Doctore, nec
non in hac Alma Episcop. Universit. Cassov.
CANCELLARIO,

In Basilica SSS. TRINITATIS

Annō MDCCLII. Mense Septembri, Die VI.
Adm: Reverendi, Prænobil. Nob. Excel-
lentes, ac Doctissimi Domini AA. LL. & Phi-
losophiæ Magistri, SS. Theologiæ Curren-
tes Biblici, ac Baccalaurei Formatii, Ejusdem
SS. Theologiæ Licentiâ per eundem donati:

Deinde verò in eadem Basilica
PER REVERENDUM PATREM

FRANCISCUM PINKA
è Societate JESU, SS Theol Doctorem,
Ejusdémque Professorem Ordinarium, ac

Inclyræ Facultatis Theologicæ

DECANUM SPECTABILEM,

SOLENNI RITU

SS. THEOLOGIÆ DOCTORES

Creati sunt.

NOMINA DD. SS. THEOLOGIÆ NEO·DOCTORUM

Ordine Alphabetico.

Admodum Reverendus, Prænob. Excellens, ac Doctissimus
Dominus ANTONIUS GÁNOCZY, Ungarus Cassovien-
sis ex Comitatu Aba-Ujvariensi, AA. LL. & Philosophiæ
Magister, SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus, Vene-
rabilis Confistorii Archi-Episcopalis Vicariatsis Strigo-
nensis Cancellarius, in Archi-Diœc. Strigonensis, antea
Collegii Generalis Cleri Regni Hungariae Alumnus.

Admodum Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctissimus
Dominus DANIEL HAVRILOVICS, Ung. Balásfal-
vensis ex Comit. Saarosiensi AA. LL. & Philosophiæ Ma-
gister, SS. Theologiæ Baccalaureus Formatus, Illustrissi-
mi, ac Reverendissimi Domini Domini MICHAELIS
MANUELIS OLSAVSKI Episcopi Rossensis, Munkacsien-
sis, Marmarosiensis (Tit:) Causarum Auditor, antea
Sem. Kisd. S. Lad. Reg. Hung. Alumnus.

Admodum Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctissimus
Dominus DAVID RONKOVICS, Ung. Rosnaviensis
ex Comit. Gömörensi, AA. LL. & Philosoph. Magister,
SS. Theol. Baccalaureus Formatus, Ecclesiæ Oppidi Mar-
gita in Diœcesi Magno - Varadinensi Plebanus, antea
Sem. Kisd. S. Lad. Reg. Hun. Alumnus.

Admodum Reverendus, Prænob. Excellens, ac Doctissimus
Dominus FRANCISCUS DUCHEK, Ung. Munkacsien.
ex Comit. Bereghienfi, AA. LL. & Philosoph. Magister,
SS. Theolog. Baccalaureus Formatus, Episcopalis Civita-
tis Agriensis Capellanus Curatus, in Diœcesi Agriensi,
antea Collegii Generalis Cleri Regni Hungariae Alumnus.

Admodum Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctissimus
Dominus FRANCISCUS KARLAJ, Ung. Lipniczensis
ex Comit. Arvensi, AA. LL. & Phil. Magister, SS. Theol.
Baccalaureus Formatus, nec non Sacrorum Canonum Li-
centiatus, Excellentissimi, Illustrissimi, ac Reverendissimi
Domini Domini FRANCISCI Episcopi Agriensis è Co-
mitibus BARKOCZY de Szala (Tit:) Capellanus, in Diœ-
cesi Agriensi, antea Colleg. General. Cleri. Regni Hung. Al.

Ad-

Admodum Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctissimus
Dominus JOANNES ANTONIUS BYDESKÚTY, de
Ipp., Ung. Kamaroczienfis ex Comit. Saarosiensf, AA.LL.
& Philosophiæ Magister, SS. Theol. Baccalaureus Forma-
tus, Ecclesiæ Privilegiati Oppidi Szepsy Pleban. Inclyt.
Comit. Aba-Ujvariensf. Districtus Superioris Vice-Archi-
Diaconus, & Examinator Episcopalis, antea Semin. Kisf.
S. Ladisl. Reg. Hung. Alumn.

Admodum Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctissimus
Dominus JOANNES PRIBOCZI Ung. Bellensis, ex Co-
mit. Scepusiensf, AA.LL. & Philosoph. Magister, SS. Theo.
Baccalaureus Formatus, Ecclesiæ Oppidi Enyiczkensis, &
Filialium eidem annexarum in Diœcesi Agriensis Plebanus,
antea Sem. Kisf. S. Ladisl. Reg. Hung. Alumnus.

Admodum Reverendus, Nobilis, Excellens, ac Doctissimus
Dominus JOSEPHUS KOVÁCS, Ung Gyöngyösiensf, ex
Comit. Hevessiensf, AA. LL. & Philosoph. Magist. SS.
Theolog. Baccalaureus Formatus, Ecclesiæ Oppidi Náad-
Udvar. & Filialium in Diœcesi Agriensis Plebanus, antea
Sem. Kisf. S. Ladisl. Reg. Hung. Alumnus.

Admod. Rev. Nob. Excell. ac Doctiss. Domin. LADISLAUS
POTOCZKY, Ung. Czassov. ex Comit. Aba Ujvar. AA.LL.
& Phil. Magist. SS. Theol. Baccal. Form. Ecclesiæ Kese-
rúiensf in Diœc. Magno-Varad. Plebanus, antea Sem. Kisf.
S. Ladisl. Reg. Hung. Alumnus.

Adm. Rev. Nobil. Excell. ac Doctiss. Domin. MARTINUS
ENDRÉSZ, Ung. Agriensf. ex Comitat. Hevessiensf, AA.
LL. & Philosoph. Mag. SS. Theol. Baccal. Form. Ecclesiæ
Király-hazienfis in Diœc. Agriensis Plebanus, nec non In-
clyt. Com. Ugocsensis Vice-Archi-Diac. antea Sem. Kisf.
S. Ladisl. Reg. Hung. Alumnus.

Adm. Rev. Nob. Excell. ac Doctiss. Dominus SIMON FÖR-
DER, Ung. Czassov. ex Comit. Aba-Ujvariensf, AA. LL. &
Phil. Mag. SS. Theol. Baccal. Form. Ecclesiæ Rakomafien.
in Diœc. Agr. Pleb. antea Sem. Kisf. S. Lad. Reg. H. Alumn.

PROBLEMA IN ACTU DECISUM.

A Sacrorum Oratorum prædicatione, an verò à subtili
Theologorum disceptatione plus Ecclesiæ sit præsidii
adversus errores circa Fidem?



DISSERTATIO

De thesauris a Davide Salomoni relictis.



Uicunque iudeos Principes Reges fuisse humiliores arbitrantur, rati nihil esse potuisse magnificum illis, qui in populo regnarent obscuri nominis & census, cuius folæ opes, ex proventibus terræ, & gregum constarent, nihil sentirent magnificum, nihil voluptuosum, nihil nisi humile, insignium gestorum gloria raro se distinquentes præberent, nec nisi cum tota ditione sua in prælium armata expeditiones susciperent, ac tandem Regnum haberent angustissimis finibus contractum, magnis agendis, sive præstandis impar; quicumque, inquam, ita de Regibus Iuda senserunt, falli illos, certissimis argumentis in hac dissertatione adductis demonstrabimus. Immensa plane divitiae a Davide cumulatæ, ut templo ædificando servirent, res sunt, quæ præ omnibus historiis priscis, &

recentioribus lectorum admirationem extorquent; ut doctissimi quique Scripturæ interpres, ii maxime, qui ad studium ponderum, & mensurarum, sicut & rei nummariae veterum, totos se contulerunt, admirationes ea de re suas continere vix possint. A) Incredibilis adeo visa res est nonnullis, ut rei granditate exterriti rationes iniverint sane ingeniosas, quibus immanis hic divitiarum thesaurus ad captum lectorum reformaretur.

Autumarunt nonnulli exaggerationis aliquid in verbis Scripturæ haberi. Sed qui fieri potuisse, ut David per exaggerationem loquetur, cum etiam atque etiam oblatiunculam suam extenuare conatus sit? *Ecce ego in paupertate mea præparavi impensas.* 1. Paral. 22.

I4. An forte cum per exaggerationem loquitur quispiam, numerum unquam certum fixumque, pondus divitiarum, & auri determinat? Alii vero mendum irrepsisse in numero talentorum suspicantur. Sed quam illi conjecturæ suæ rationem afferunt? An textum aliquem, an versiones, an exemplaria proferrunt ulla, quibus suspicionem suam fulciant? Ad libitum mendum suspicari, & non potius expressa necessitate premente, quisque permititur? Actum esset de integritate Sacri textus,

fi

A) Vide, si placet, *Budæum de Affe*, 1. 4. fidem res illa habitura non videtur hominum quidem sensu, etiamsi autoritatem Sacrosancta id creditur.

Si, cum maxime extraordinarium aliquod occurrat, mendum suspicari licuerit. Plerique tandem, relicto talentorum numero, manus inferunt in valorem, thesauri pretium extenuantes; autumant enim, ea, quæ David Salomoni legavit talenta, minoris æstimanda fuisse, quam reliqua quæcumque. Horum nos opinionem in examen revocandam modo suscipimus.

Fatis cessurus David, Salomoni filio suo Scriptura narrante 1. Paral. 22. 14. legavit *Auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum.* Præter hæc de cumulatis a se pecuniis reliquit *tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi.* 1. Paral. 29. 4. Insuper Principes Aulæ David in opus illud contulerunt *auri talenta quinque millia, & solidos decem mille, argenti talenta decem millia.* 1. Paral. 29. 7.

Porro argenti talentum præcise valebat 3000. sicles, quemadmodum ex testimonio Exod. 38. 25. 26. apertissime constat. Narratur enim ibi Israëlitis 603550. numero semi-siculum viritim pendisse; quod summam conficiebat 300. talentorum argenti, & 177. siclorum. Siclus autem reddit 32. solidos, 5. denarios, & 3. denarii quadrantes, cum octava denarii parte. Valet igitur argenti talentum ad nostram monetam supputatum 4867.

6 DISSERTATIO DE THESAURIS

libris, tribus solidis, 9. denariis. Talentum auri ascendit ad 69531. libras, 5. solidos monetæ nostratis. Ita 100000. auri talenta a Davide relicta, summam conficiunt 6953125000. librarum ex auro. Adde his summam 3000. talentorum auri ab eodem Davide comparatam, quæ refert 208593750. libras monetæ nostratis.

Ex argento legavit 1000000. talentorum, nempe 4867187500. librarum monetæ nostratis. Præter hæc, donavit ex residuis sibi pecuniis 7000. talenta argenti, scilicet 340070312. Hæc negotium conficiunt; an nempe fieri potuisse, ut David tantam argenti, & pecuniæ vim cumularet, immanisque adeo divitiarum thesaurus totus profundendus esset in ea, quam animo complexus fuerat, ædificii mole.

Parasse Davidem omnia, quæ ad destinatum opus necessaria arbitrabatur, neminem in dubium revocaturum credo; ipse enim saepius mentem ea de re suam expresserat 1. Par. 22. 5. & 28. 2. & 29. 2. 19. & 2. Paral. 8. 16. Schemma etiam, atque totius ædificii modulum in manibus Salomonis reliquit, quem sane respondisse conceptæ de Deo opinioni, cuius Numinis æquam, quantum fieri posset, domum construere parabat, ne ambigimus quidem. Supremi illius Numinis majestatem respicere se David ipse protestatus est, cum ea se parare significavit, quæ tenuitatis fuxæ modulus patere-

teretur ; qua verborum phrasí satis expressit , nulla ædis majestate , quæcumque tandem illa futura esset , immensi Numinis majestatem illam fore assequuturum.

Paternas hasce ideas expresisse Salomonem , atque operis executione conceptam a Davide magnificentiam æquasse satis constat . Quin & multo excessit ; namque erecti ædificii moles multo fuit augustior , quam moduli , & schemmatis a Davide relicti , ratio exigeret . Nihil est in tota antiquitate sumptuosius , nihil augustius , quam Salomonis templum . In hoc pretiosissima metalla , ligna , & marmora rarissima profusa sunt ; non sumptibus parcebatur , quo peritissimi artifices conducerentur , ut exquisitissimi artificii excellentia materiam ipsam vinceret , atque ad invidiam certarent , & metalli , & artificii præstantia . Verum his ita constitutis , eruditи nostrarес nunquam tam in animum possunt inducere , tantam divitiarum vim cumulasse Davidem , neque totam in opere Salomonem profundisse . Superat (inquit Clericus hic) opulentiam omnem , & thesauros ditissimorum Regum , quorum sic apud Historicos mentio : *Suffecisset in aliquot centena splendidissima templa ædificanda.* Nullæ quidem suppetebant Davidi avitæ relictae a parentibus divitiæ ; nec tam immanes sufficere poterat ditionis illius angustus fane tratus . Interim cumulasse dicitur tantam auri ,

argentique vim , quantam nunquam possederunt avidissimi quique Reges Persarum , Græcorum , & Romanorum .^{a)} Et quidem (inquit Brerevoodus) opus , quod meditabatur , minus erat , quam tot immensos sumptus efflagitaret . Quando muri omnes e fuso argento constarent , quando eodem metallo totum templi pavimentum sterneretur , quando ædificii tectum totum esset aureum , eodemque metallo vestirentur interiores templi parietes , conflarentur vas a in usum templi necessaria , adjectis etiam sumptibus in artifices , adhuc tamen reliqui multum superesset . Ego , quanta potui sedulitate (addit ille) atque animi contentione dimensiones omnes templi expendi , tum & facta comparatione cum auri , & argenti thesauro , qui in opus insumendus esset , si omnia auro , argentoque constarent , post hæc , inquam , omnia , thesauros a Davide relictos superfluere animadverti . Itaque (concludit ille) fateamur oportet , aliud in hoc loco significare talentum , quam quod vulgo usurpatur apud Moysem , & reliquos Scripturæ libros . Ita Brerevoodus in suo opere de comparatione veterum , atque recentiorum monetarum .

Vehementius idem argumentum inculcans Mariana , 12. tract. de Pond. insigni stultitiae elo-
gio donandos censet eos , qui Davidis talenta Mosaicis æquare præsumerent : *Furor, profecto*

ft-

^{a)} Brerevood. de ponderib. c. 7.

furor, Davidis talenta Mosaicis æquare. Summam ille reformat ad 1275000000. auri, & totidem forte argenti, quod in unum collectum, sumam conficit 2550000000. Josephus Antiq. l. 7. c. 11. difficultatem extorquendæ a lectoribus fidei ea de re sentiens, relictam a Davide ingentem auri vim, ac 100000. talenta argenti adnotans, cætera admittit. Eupolemus apud Euseb. Præpar. l. 9. c. 34. redigit talenta illa ad sicolorum valorem, ut pro 100000. talentis auri, & 1000000. talentorum argenti, par numerus sicolorum auri argentique supputandus sit. Nec sane major summa, juxta quosdam interpres, ædificando templo exigebatur.

Maluerunt alii pondus Sanctuarii, de quo apud Moysen, duplopondus illud, de quo impræsentiarum, excelsisse. Addunt, talento auri aliud esse pondus, quam argenti; sicut & argenti scilicet duplo aureum excedere. Jacobus Cappellus distinxit talentum *Statum*, nempe *Mosaicum*, a *Numismatico*, quod vocat, minori sane pondere, & pretio inferiori. Stanislaus Greferpius de diversis sicoloris, non duo tantum talentorum genera invenit, nempe commune, & numismaticum, quod sextam tantum partem prioris, & duodecimam talenti Sanctuarii continere censet; sed & alia plura distinguit, nempe publicum, privatum, regale. Addit insuper, decimam, quandoque duodecimam, centesimam, & milienam talenti partem talentum sine

10 DISSERTATIO DE THESAURIS

addito nuncupari. Ita plane augustam sibi viam instruit variis variorum conjecturis, summam auri Davidici supputantium, adoptandis.

Inter omnes constat, talenti nummum non æquabilem semper habuisse valorem apud varios populos, penes quos obtinebat. Ægyptium 80. librarum pondus retulisse ferunt; a) Romanum 70. Siculum 2400. drachmis valebat; Etruscum 120. libris; Syrum pondere erat 15. librarum, cum 7. unciis, & 4. drachmis; Æginetum 10. drachmarum; Alexandrinum 31. librarum, cum 3. unciis; Atheniense 60. minis valebat, vel 600. drachmis. D. du Cange observat, nomen talenti usurpari interdum pro 100. libris, quandoque pro 50. & adhuc pro Marcho 20. solidorum. Homerus Iliad. Ψ. tradit, proposita ab Achille pro ludis Patrocli in præmium fœminam, & tripodem; deinde secundum præmium erat equa mulo fœta; in tertium novum ahenum; quarto loco duo auri talenta. Erat igitur horum talentorum (ultimo quippe loco propositorum) minor, quam cæterorum omnium valor. Ibidem etiam in præmium cursus donat 1. ingenitem argenti craterem exquisiti artificii, & capientem 6. mensuras; 2. vitulum saginatum; 3. hemi-talentum auri, quod fane minus valebat, quam bos. Virgilius Æneid 5. duo talentorum genera, majus nempe, & minus di-

stinctum.

a) Vide Plin. l. 33. cap. 3. & Budæ. de Asse.

finquit : *Argenti magnum dat ferre talentum.* Vox Hebræa קְכָר Kikkar exprimit mas-
sam , sive tortulam auri , argentei. Legimus
2. Regum 12. 30. & 1. Paral. 20. 2. Davidem
imposuisse sibi diadema , e capite Regis , vel
Dei Moabitarum detractum , quod talenti erat
pondere. Quis autem facile credat sustinuisse
Regem in capite 125. libras Romanas ? Meri-
to igitur cum Budæo inferendum videtur , a)
talentum Hebraicum , quemadmodum & cæte-
ra aliarum gentium non sibi semper constare.
Hæ potissimæ asseruntur rationes pro minuen-
dis Davidis thesauris , & ad æquiorum sum-
mam pecuniis illius omnibus redigendis.

Sed eas nihil morati vulgo commentato-
res omnes , totam Sacri textus historiam ad
literam recipiendam censent. Verum quidem
est , plures inter illos perfunctorie tantum rem
totam tractasse , neque id contulisse sedulitatis
& curæ , quod cæteri de ponderibus & re-
nummaria scribentes ; sed alii vicissim plures
huic sententiae accesserunt , non plane impara-
ti ; & rei nummaria licet instructissimi , adhuc
tamen literam textus excipiendam censuerunt ,
absque eo , quod prodigiorum numero tantam
divitiarum vim crederent adscribendam. Vil-
lapandus , quem fane virum imprudentem
rem effutiisse accusaverit nemo , non tantum

ex-

A) End de Affe l. 4. fol. 110. Edit. Ascension. Talenti significatio-
mem non unam fuisse apud Hebraos puto , quomodo & apud alias
gentes nonnullas. Vide , si placet , Brerewood de ponderibus c. 6.

expressas in Scriptura pecuniarum summas recipit omnes ; sed multum etiam adjecisse de suo Salomonem in ædificio ejus templi autu-mavit ; a) impendisse namque credit Salomo-nem 108000. talentorum auri , b) & 1000000. talentorum argenti ; c) quæ tanta auri summa erogata statuitur in uno templi ædificio , omis-sis pecuniis ad mercedem & convictum artifi-cum , sicut & impensis exoticis. Quare si totum illud aurum in massam conflatum in quadratum cubicum redigeretur , tanta ejus esset moles , ut vix eam caperet conclave 10. cubitorum in quadratum , & 5. in altum : argen-tum vero in similem massam redactum , facile totum Sanctuarium occupasset , quod 20. cu-bitis quaquaversum porrigebatur. Addit idem author, adhibitos ad structuram templi 401900. artifices ex Israëlitis , Tyriis , Sidoniis , Ægyptiis conductos , quibus post absolutum opus , atque congruam mercedem solutam , 10. sicli auri in munus adjecti sunt. d) Præter hæc Tyriis opificibus anuatim solvebantur 602850. cori E) frumenti , totidem hordei , & mensuræ vini , F) sicut & totidem olei fata . G) Eadem data

a) Villa p. t. 3. p. 2. de pond. & mens. 33. b) Reddunt , juxta ejus supputationem , 1817654024. aureos moneta Romanæ . c) Reddunt 1464480000. d) Decem sicli auti summam conficiunt circiter 116. librarum. e) Corus capit 298. pintas , cum dimidia , semisextarium , & plus aliquid. f) Mensura sive Bathus continet 29. pintas cum dimidia , semisextarium ; & plus ali-iquid. g) Satum continet 9. pintas , ac dimidiā , quartam pintæ partem , & plus aliquid.

data proportione Sidoniis, & Aegyptiis assignata, sive in auro, sive quacumque demum ratione solvenda. Mensæ Regis Tyri conferebat 20000. mensuras frumenti, & olei totidem, 2. Paral. 2. 10. & 3. Reg. 5. 11. Singula fuse prosequitur Villalpandus, quæ nos ulti præterimus, metu, ne ab argumento plus nimio abducamur. Monendum tamen censemus, nihil legi in Scriptura de opificibus Aegyptiis, neque de siclis aureis post absolutum opus singulis operariis adjectis. Hæc ab Eupolemo apud Euf. Præpar. l. 9. narrantur.

Quæ de inæqualitate talentorum apud varias gentes adducta sunt, nihil pro Hebræorum talentis probant; neque enim vestigium ullum deprehenditur, sive in Scriptura, sive in historia, varia apud eas gentes saltem ante captivitatem Babyloniam obtinuisse talenta, & apertissimo librorum Mosaicorum testimonio probatur Exod. 38. 25. 26. Hebraicum illud talentum valuisse 3000. siclis. Exemplum Davidis, qui capiti imposuit diadema talenti pondere, nihil probat, cum forte diadema illud in aëre supra thronum suspensum teneretur; vel saltem valore erat talenti, quippe quod diviti gemmarum thesauro ornaretur. Cætra omnia loca, ubi sermo est de talento, ingentem eo nomine summam exprimi demonstrant. Amasias Rex Juda exercitum sibi emit a Rege Israël 100000. hominum, soluto pre-

tio 100. talentorum, 2. Paral. 25. 6. Profecto si talentum minus valuisse, quam 3000. siclis, quantum viritim singuli milites obtinuissent? Ammonitæ pro conductis 32000. curribus, seu facile 32000. equis currus trahentibus, simulque copiis Mesopotamiæ in regionibus Maacha, Rohob, & Sobba collectis, solverunt 1000. argenti talenta, 2. Paral. 19. 6. 7. & 2. Reg. 10. 6. Amri Rex Israël duobis auri talentis montem emit, in quo urbem Samariam ædificavit, 3. Reg. 16. 24. Cum Sennacheribus ab Ezechia exegisset 300. talenta argenti, & totidem auri, Reg. 18. 15. pius ille Rex ingenti summæ conficiendæ non æraria tantum omnia Regia, & Sacra excussit, sed laminas etiam auricas evulsit, templi fores vestientes. Giezi postulatum venit e Naamo, falso obtento Elisei nomine, duo argenti talenta, 4. Reg. 5. 22. quæ Naaman deferenda tradidit duobus domesticis suis, geminis faccis onustis. Profecto si ea pecuniæ summa, & pondus minora fuissent, quam quæ Giezi sustinere potuisset, conducebat sane viro illi secum omnia ferre, metu, ne forte res in cognitionem Elisei veniret. Captæ a Necho Rege Ægypti Judææ tributum impostum est 150. talentorum argenti, & 1. auri, 4. Reg. 23. 33. 35. quam summam ut conficeret Joachim, extraordinarium vectigal imponere populo, ut pro viribus quisque solveret, coactus est. An & Scriptura hæc nar-

care, & Rex ad eas angustias redigi sustinuifet, si talentum multo minus valeret, quam Mosaica? Manahem Rex Israël annuale tributum 1000. talentorum Phul Regi Assyriæ soluturus, 50. siclis ditissimos quosque suæ ditionis, cæteros vero singulos pro datis facultatibus censuit. Talentum igitur Hebraicum modicam illam summam profecto non conficiebat, quam adversæ sententiae authores cominiscuntur; neque varii apud illos fuisse valoris, vel legimus unquam, vel conjectura assequimur, cum semper ingentem pecuniam summam reddant.

At enim talentorum Davidicorum summa immanis erat, & multo, quam quæ ædificando templo exigeretur, major. Grandem fuisse pecuniam fatemur, sed impensis non sane minoribus æquanda erat. Profecto si totum illud aurum, argentumque authore Villalpando pro interioribus templi ornamenti, sacrisque vasis erogatum fuit, tantum abfuit, ut David majora sumptibus præstaret, ut multo etiam minora reliquerit. Sed esto, concedamus Brerevodo hanc auri argenteique immensam vim ex auro, argentove conflato templo æque, ac Salomonico augusto satis futuram: nonne ex illo merces pendenda erat infinitis propemodum artificibus, integro Septennio in opus insudantibus? Quantum plane solvendum pro rebus transvehendis, pro ligno-

rum

rum strue, lapidibus, marmore, gemmis, aliisque, quæ non nisi experti opinia scire potuissent? Si dimidium hujus thesauri hisce erogatum dixerimus, minus forte, quam restulerit, concederemus; tunc autem negotium duplo minoris difficultatis authori fiet, atque æquioribus oculis summam duplo minorem respiciet.

Reponunt, fieri nunquam potuisse, ut David, nullis avitis facultatibus locuples, in angustissimo Regno tantam auri vim cumularet. Sed animadvertisse oportuit, diutius virum regnasse, longe lateque & terrorem sui nominis, & arma, & victorias, ac tandem ditionem suam prorogasse. Ditissimos populos habebat tributarios, nec sane multum suis commodis insumebat, ac vicissim multa retrahebat ex gregibus, agris, vineis, olivetis. Regnum prorogavit ad 4. annos post obitum Saulis; tum & superstite adhuc Saule ipse validus sibi manu adlecta, in hostilem regionem non sine reducta ingenti præda excurrebat, i. Reg. 27. 89. jura dedit deinde tribui Juda in Hebron integro sexennio; successit Regnum in universum Israëlem 34. annorum. Toto eo temporis spatio nihil sibi permisit reliquum cogen-
dis pecuniis, quibus tunc maxime se totum impendit, ex quo aedificandi templi Domini consilium assumpserat; quamquam honorem illum reservari filio, Domino revelante, didicisset. Bellum intulit Syris, Philistæis, Am-

mo-

monitis, Moabitis, Idumæis, & nunquam adversam fortunam expertus est. Regrediebatur enim semper non gloria tantum, sed spoliis devictorum Regum direptis, raptisque eorum thesauris ovans. Hæc enim constituta tunc temporis belli lex, ut devicti Regis thesauri, sicut & tota hostilis regionis præda, quin & captivi ipsi, victori Regi manerent. Victos enim hostes veluti captivos habebant, quibus ea tantum conditione vita servabatur, si tributa, nec modica, plane solvere non renuissent. Sed quænam Regiones illæ victori tributariæ? opulentissimæ illæ, & plenimque metalli fodinarum feracissimæ. Arabiam totam sibi fecerat vectigalem: quis autem regionis illius, ac maxime Arabiæ felicis divitias ignoret? Plin. l. 6. c. 28. *In universum gentes ditissimæ, ut apud quas maxime opes Romanorum, Parthorumque subsistant.* In Idumæa celebrantur apud prophanos etiam usque post JESU Christi ætatem fodinæ Phinon. Vide nostrum Comment. in Num. 33. 43. Celebrantur & Phœniciae a Moyse indicatae, Deut. 33. 25. & successu temporis SS. Martyribus frequentatae. Euf. Hist. Eccl. Cum tandem devicto Rege Adarezer totam Syriam ditioni suæ David adjecisset, immanem ex illa metallorum vim retraxisse Scriptura testante intelligimus, 2. Reg. 8. 7. 8. Eodem fato subjecti sunt populi Transeurophrataei, fædere juncti Syris, & Ammonitis,

2. Reg. 1. 16. 29. & 8. 3. & 3. Reg. 2. 24. &
1. Esdr. 4. 20.

Profecto si omnia hæc cumulentur, tributa nempe subjectarum gentium, spolia Regum, Regni sui jura & Israëlitarum vectigalia, rei familiaris parsimonia, cui per eam ætatem non privati tantum, sed Principes ipsi studebant, si (inquam) hæc omnia simul spectentur, monstri loco facile non habebitur, si immunes hosce thesauros comparasse David asseratur. Si quis conferat inter se tributa in Scriptura descripta, tum & illa, quæ a devictis gentibus Rex exegisse creditur, is facile intelliget, ea sola ratione divitias in immensum crescere potuisse. Manahem Rex Israël argenti talenta mille Phul Regi Assyriorum pendebat, 4. Reg. 15. 20. Arabes, ea nempe Arabiæ portio, quæ ad oram meridionalem maris Mortui pertinet, tributum solvebant Josaphat 7700. arietes, & hircos totidem; 2. Paral. 17. 11. Ammonitæ Joathan Regi Juda 100. talenta argenti, & 10000. mensuras frumenti, sicut & hordei totidem, 2. Paral. 27. 5. Rex Assyriæ tributum imposuit Ezechiaæ 300. talenta argenti, & 30. auri, 4. Reg. 16. 7. 14. Rex Moab tributum dabat Regi Israël 100000. agnos, & totidem lanigeros arietes, 4. Reg. 3. 4. Quid autem Ammonitarum, Moabitarum, Israël etiam & Juda seorsum spectatæ ditiones cum latissimo Davidis regno? Sub eo etenim Principe promissæ

missæ a Deo ditionis fide soluta, Genes. 15. 18. totum habuit tractum inter Mediterraneum, & Nilum; ut ipsa hostium judaici nominis confessione post plura saecula adhuc fama Davidis, & Salomonis, tanquam potentissimorum Regum, fines regni sui usque ad Euphratēm prorogantium maneret, 1. Esdr. 4. 20. *Nam & Reges fortissimi fuerunt in Ierusalem, qui & dominati sunt omni regioni, quæ trans flumen est; tributum quoque, & vectigal, & redditus accipiebant.* Scimus etiam ex 2. Reg. 10. 16. 19. & Psalm. 59. 1. Mesopotamiam ipsam habuisse tributariam; qua etiam de re conveniunt Rabbini in Siphre fol. 38. & Majmon. *Hilchot Jerumoth. c. 1. Halac.*

Recitantur in Scriptura nomina præfectorum David, quibus regiarum facultatum oeconomia commissa erat; unde non futile conjectura dicitur immanium reddituum ditissimi illius Regis, 1. Paral. 27. 2. 32. Erant enim præfecti, qui agriculturam curabant; erant & super greges boum, caprarum, ovium, camelorum, asinorum; super vineas etiam, oliveta, & ficus. Præstabant autem illi, ut agrorum cultura procederet, stata nempe servarentur tempora, & maturi fructus colligerentur, vinum & oleum probe servarentur, ac tandem suo venderentur tempore. Diutinis operis colebantur a subditis agri; quod unum erat ex juribus Regum a Propheta Sa-

muele diductis, 1. Reg. 8.12. Præter hæc diurna subditorum servitia, pendebantur Regi decimæ fructuum, & frumenti. Eupolemo etiam authore apud Eus. Præp. l. 9. c. 30. scimus, Davidem instructas classes misisse *Urphen* in mari Rubro, unde aurum referebat. Tandem Rex ille nunquam thesauros suos alio distraxit, frugi enim erat, & modestus: *Magnum est vectigal parsimonia.*

Quo autem exactiorem ideam de redditibus Davidis concipiamus, thesauros Salomonis, de quibus in Scriptura nonnulla, mente verfare oportet. Porro Rex ille neque potentia erat majori, neque parsimonia: regnum quale a Patre acceperat, servabat; singulis autem trienniis classem mittebat in Ophir, quæ dives revertebatur 450. talentis auri, lignorum, avium, & rarissimorum animalium, 3. Reg. 10. 11. &c. Sed hæc Salomonis præfecti non gratis comparabant, at pretio auri, sive mercium permutatione.

Si autem fides sit Eupolemo, paria saltem David præstabat, cum & ipse classes suas mitteret in Ophir, aurum tantum referentes, neque enim ipse curiosis aliis mercibus studebat. Si vero huic authori ex Scripturæ silentio fides denegetur, æquum est tamen fateamur, Davidem mercaturam earum rerum in sua regione exercuisse, quarum Salomon in aliena faciebat. Si quis immanem illam frumenti

menti, vini, & olei copiam, quam Salomon Tyriis, cæterisque opificibus templi solvebat, venditioni exposuisset, quos sane non retulisset thesauros? Pronum erat Davidi Mediterraneum, unde tutum, commodumque detinaret commercium cum Phœnicibus, Ægyptiis, Syris, & Philisthæis, ex quo facilis data via vendendis non infimo pretio camelis, asinis, bobus, ovibus, vino, frumento, oleo, fructibus, non de suo fundo tantum, sed etiam ex tributis collectis.

Irrefragabili Scripturæ testimonio compertum est, tantum opes Israëlitarum sub Salomone crevisse, ut *argentum in diebus illis pro nibilo reputaretur*, 1. Paral. 9. 20. & *tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum*, 2. Paral. 10. 27. Sint autem hæc per exaggerationem, & hyperbolice dicta, re tamen immanem regni opulentiam produnt, satisque demonstrant, satis fuisse tunc temporis vulgare in eadem regione argentum. Sed nec obscuro sunt hæc indicio, Davidem tantam comparasse divitiarum vim, quæ regni miram illam opulentiam detineret. Qui enim fieri potuisset unquam, ut Salomoni omnia suppeterent, quæ nempe profunderet in ædificiis, exercitibus cogendis, curribus domesticis, utensilibus, hortis, equis, pro mensa item regia, uxorum copia, quas totidem Reginas

ginas dixisses , a) & in quas adeo inclinabat ; qui (inquam) fieri potuisset , ut post ingentes adeo sumptus , adhuc tamen tot tantique superessent thesauri , nisi immensi pene ex patria hæreditate filio provenissent ? Neque enim filio major erat præ Davide ditio , ampliora latifundia , & proventus . Quanta autem esset Regis opulentia , adhuc tamen vastissimo operi imparia fuerunt Regis æraria , cum in ipso ædificandi ardore 120. talenta ab Hiram Rege Tyri mutuo accepit , 3. Reg. 9. 14. & post obitum Salomonis immodicis vectigalibus gravatos se ab illo Ifraëlitæ conquererentur , 3. Reg. 12. 4.

Sed eja ad proventus Salomonis explorandos propius accedamus . 3. Reg. 10. 14. hæc legimus : *Erat autem pondus auri , quod offerebatur Salomoni per annos singulos sexcentorum sexaginta sex talentorum , excepto eo , quod offerebant viri , qui super vectigalia erant , & negotiatores , universique scruta vendentes , & omnes Reges Arabiæ , Ducesque terræ . Hæc 666. auri talenta reddunt 45297802. libras . Autumat autem Villalpandus de Templ. tantum auri ex tributis devictarum gentium collectum ; quare (inquit) præter hæc in æraria regia inferebantur singulis annis ex vectigalibus duodecim tribuum 1440. auri talenta , insuper singulis trienniis ex classe Ophiretica accedebant 450. sive 420. talenta auri . Quid vero bant*

a) Cant. 6. 7. 8. Sexaginta sunt Reginæ , octoginta concubinæ .

portoria Israëlitici, cæterorumque subjectorum regnorum, argenti ærisque fodinæ; mercium decimæ, proventus ex Arabia, atque ex præfectis provinciarum, qui sane multum hæc omnia superabant? Quæ cum ita se haberent, non plane inviti crederemus, Davidem solidο 40. annorum regni spatio potuisse 10000. auri talenta, & 1000000. argenti in regios thesauros inferre, cum & æquos haberet redditus, quos Salomon, & minores plane sumptus. Confert ad eam rem testimonium Eupolemi apud Euf. Præp. l. 9. c. 34. tradentis, impensa a Salomone in opere duarum ænearum columnarum, & templi 4600000. talentorum auri, in clavis vero, aliisque operibus 1232. talentorum argenti, quæ plane summa multum relictos a Davide thesauros superat. Sed Villalpandus de ponder. Disput. 4. lib. 2. cap. 33. utramque, & Scripturæ & Eupolemi, autoritatem conciliat, adnotans, Eupolenum Græcum scriptorem talentum quidem argenti probe nosse, nescire vero, quid rei esset aureum talentum, cuius nulla est apud historicos Græcos mentio. Quare cum de aureo talento agit, præ oculis habet talentum argenteum Atticum, ad auri valorem redigens totum id, quod in fabricam templi erogatum est. Talentum Atticum duplo minus Hebraico, atque duodecim argentea talenta aureum unum reddebant. Ita 1000000. talenta Hebraica reddit

Attica 2000000. & 100000. talenta auri per duodecim multiplicata, quo summa talentorum argenti reddatur, deinde tota summa duplicata, quo talentis Atticis respondeat, refert 2400000. ; quod cum Eupolemi calculo quadrat. Si quis exactius aliquid voluerit, authorem adeat.

Quo ultima dissertationi manus imponatur, reliquum est, ut exempla non imparium, quin & majorum divitiarum afferantur. Quidni enim potuerit David, quod alias potuisse, nihilo maiores habentes proventus, constat ? Sardanapalus Rex Assyriæ authore Ctesia fragment. in urbe metropoli obsidione arctissima clausus, cum ad ultimas angustias redactum se intelligeret, ingentem pyram incendit, cui, quidquid divitiarum haberet, totum igne absumendum tradidit, ne quidquam in manus hostium veniret; deinde se in pretiosissimum rogum conjecit. Absumpta sunt eo igne 150. licti aurei, totidem aureæ mensæ 1000000. talentorum auri, & decies totidem argenti, cum vestibus pretiosissimis, purpureis pannis, aliquique id generis. Præter hæc ineunte obsidione, filios suos e Ninive subduxerat, dato illis commeatu 3000. talentorum auri. Exaggeret quis modo pro arbitrio ditionis hujus Regis, & imperii Assyrii amplitudinem ; contendimus enim nihilo angustiorem fuisse Davidicam ditionem, quæ insuper exquisitiori cultura

tura soli, & incolarum numero, Assyriæ præstabat. Consentit Josephus Antiq. lib. 7. c. 12. neminem unquam orbis Principem sive apud Hebræos, sive apud exterios, Davidicis locupletiores thesauros reliquisse. Illatas insuper testatur in sepulchrum ipsius divitias plane ingentes, quas deinde efforas, & ipse narrat, & nos alibi in examen revocabimus. Vide 3. Reg. 2. 10.

Thesauri, quos inventos narrant in altero orbe, fidem sane adstruunt iis, quæ de thesauris Davidis in Scriptura narrantur. In urbe Peruana parietes a) templi aureis laminis obducti nitebant, quibus fulgor accedebat ex insertis smaragdis & cyanis. Solis simulacrum fulgore pretiosi metalli oculos perstringebat; fontes juxta templum spectabantur, quorum canales, & urnæ solidi auro conflatæ erant. Hortus templi in Cusco auro totus, & argento consitus; iisdemque nitebant metallis horti regiae domus in eadem regione. Namque infinitis propemodum arboribus, plantis, floribus, ex solidi auro argentoque dispositi erant, nec viliori metallo expressa reptilia, aves, & cujuscunque generis animantia. Patebant campi aureis leguminibus disseminati; totam vero ambiebant messem aureæ sepes ex virgis ejusdem metalli intextæ. Spectabantur statuæ proceræ homi-

a) *Vide Chevreau Histoire du Monde. Tom. 4. l. 8. chap. 3. pag. 238.*

num utriusque sexus, sicut & infantium ; horrea quin etiam aureum triticum recondentia ; omnia ex solido auro. Vasa templi cætero cultui respondebant ; nec fane vilia instrumenta in usum agricolarum. Cæterum fana omnia urbis Peruanae nihilo huic concedebant, sicut & parum aberant Regiæ Yncarum ædes ; ubi illud singulare spectabatur, nempe continendis lapidibus pro cemento fuisse aurum, argentum, & plumbum simul fusa.

Atabalipa Peruanus Rex obtulit Pisarro Hispanorum militum Imperatori stipendum , tot auri, argenteique vasa , quot continere posset aula illa, quo venerant collocuturi, vel juxta alios, quod caperet atrium quadratum Palatii *Caxamalcae*, ad eam usque altitudinem cumulata , qua manus extenta pertingeret. Prompte acceptavit Pisarrus , nec promissis quidquam defuit Atabalipa ; quamquam nec his contentus Hispanus urbe Cusco direpta, tantam auri prædam retraxit , quanta ipsum Regis stipendum superaret.

Ædes Magni Mogolis, teste Mandeslo, 4. circiter leucis girabant, nec Regis æraria minus , quam 150000000. nummorum scutatorum æstimabantur ; proventus annui juxta Hebertum ad 250000000. pertingunt. Sinarum Regi annui census assignant 15000000. scutorum ; ac memoriæ proditum est a P. Gruber in obitu Principis eodem cum illo rogo cre-

mari

mari thesauros ipsius omnes , quos in obitu
cujusdam e novissimis Regibus ascendisse per-
hibet, ad 4000000000. igne consumpta. Quæ
si vera sunt, apertissime plane demonstrant,
potuisse Davidem 40. annorum spatio 100000.
talentorum auri , & 1000000. talentorum ar-
genti, cumulasse in amplissimo plane regno ,
eoque ditissimo , tum incolarum numero fre-
quentissimo , post relatas maxime tot de ho-
stibus victorias , & opima spolia, adjectis tri-
butis , & in tanta Regis parsimonia.

Nihil moror divitias tota antiquitate cele-
bratas Mydæ & Cræsi ; facile enim fabulosa
vetustas adjiciendum aliquid veritati censuit.
Narrant tamen Cyrum , post domitam Asiam,
retulisse 34000. pondo auri, *præter vasa aureæ*
(verba sunt Plinii l. 45. c. 3.) aurumque fa-
ctum , & in eo folia , ac platanum , vitemque.
Qua victoria argenti quinque millia talento-
rum asportavit , & craterem Semiramidis , cu-
jus pondus 15. talenta colligebat. Apud eun-
dem authorem legimus de solariis , seu forni-
cibus concameratis , argenteisque trabibus ,
columnis , & pilis , omnibus ex solido auro in
ædibus Salaucis Regis Colchidis.

Quale ferendum sit judicium de thesauris
Regum Persarum , ex Athenæi relatione pro-
num est. Assurgebat in regiis ædibus aurea
vitis , & platanus ; & in cubiculo ad regii cu-
bilis caput servabantur 5000. talentorum auri ;
sicut

sicut & in alio conclavi infra cubile 3000. argenti continebantur. Quotidie in aula regiis impensis, ac mensa detinebantur 15000. virorum, erogatis in eam rem 400. talentis in singulos dies, nempe 337781950. libris in singulos annos, & 925430. in singulos dies.

A) Rex Artaxerxes vota nuncupans pro sanitate Atossa uxoris b) coram Junone, solemniter fidem suam tacta terra, quæ jurisjurandi solemnis est formula, obligavit, tantum se auri, argenti, purpuræ, & equorum per manus amicorum, & satraparum in sacra templi æraria illaturum, quantum interjectum inter templum, & regias ædes spatium caperet; porrigebatur autem spatium illud ad 11. stadia, nempe 1375. passus.

Angustior est hæc divitiarum idea præ illa, quam de Alexandri Magni thesauris ingerunt scriptores. Invictus ille Rex ex Damascena regione retulit 26000. talentorum argenti signati, & 500. pondo talentorum rudis argenti, cum 7000. equis, five mulis onustis. c) Cum autem Susas venisset, oblata Regi narrat Arrianus 1500. talenta argenti cusi; addit Q. Curtius par argenti gravis pondus; sed Diodorus Siculus ascendisse hanc summam tradit argenti gravis ad 40000. talentorum, & auri in Daricos cusi ad 9000; Plutarchus vero habet

a) Athen. l. 3. e. 20. & Herod. l. 7. c. 117. 18. 19. b) Plutarch. in Artaxer. c) Q. Curt. lib. 3.

bet 40000. talentorum argenti, & purpuræ ad 5000. talentorum.

Occupata Persepoli, in fiscum regium illata sunt 12000. talentorum, juxta Diodorum, & Curtium l. 5. c. 13. Ex Perside, & Sufis retulisse illum 40000. talentorum, author est Strabo lib. 16. vel juxta alios 5000. Sunt etiam, qui scriptum reliquerint, totam argenti summam Ecbatana redactam, ascendisse ad 180000. talentorum, præter id, quod Babylonem asportatum est, sicut & 8000. talenta a Darii interfectoribus sublata.

Post prælium ad Arbelam oblata sunt Alexander 3000. talentorum argenti, juxta Arrianum, vel 4000. juxta Curtium, quot nempe in castris Darii inventa sunt. Diodorus l. 17. testatur in ærariis Ecbatanis non minus quam 120000. talentorum auri fuisse, cum Alexander urbem invasit. Plura etiam inventisse in thesauris Babylonis, inde colligimus, quod ex occupato ibi thesauro, singulis equitibus exercitus sui Rex sex minas, externis vero equitibus quinque, peditibus duas viritim distribuerit. A) His omnibus thesauris inspiciendis 30. vel 40. dies infumptos narrant. Accesserunt his 6000. talentorum argenti ex Paserga de recepta. Erant Dario præter hæc omnia 7000. vel 8000. talentorum, ab interfectoribus psius

Re-

A) Minæ valor ascenderet ad 97. l. 6. fol. 10. de n. & dimidium monetae nostraris.

Regis sublata; quamquam ea summa immi-
nuta, adhuc tamen æraria victori reservarunt
13000. talentorum, ab Alexandro inter copias
suas distributa. Præfectus Ægypti opima hæc
spolia 800. talentis, & omnibus supellectili-
bus Darii cumulavit. Hæc omnia in unum
collecta summam excedunt 185000. talento-
rum argenti, non computatis thesauris Baby-
lone inventis, & inter milites distributis; &
129000. talentorum auri. Stylus deficit Po-
lybio l. 10. magnificentiam pariter, & super-
biam Regum Ecbatanæ descripturo. Cedro
omnia & cipresso in duebantur; auro quin etiam
vel argento obducti erant trabes, solaria, con-
camerati fornices, columnæ porticum, &
peristyla, aureæ & tegulæ culminis. Ha-
rum laminarum pleræque ætate Alexandri Ma-
gni avulsæ, plures etiam sub aliis post ipsum
Regibus manserunt; & Antiochus Epiphanes
in templo Deæ Anneæ, sive Anaidis columnas
adhuc spectavit auro obductas, tegulas argen-
teas, lateres auricos & argenteos longe plures,
quæ omnia in monetam, summa 4000. talen-
torum, excudit.

Talenta illa Attico erant valore, nempe
2400. librarum monetæ Gallicæ. Porro omnia
hæc exempla, adjecta insuper amplitudine di-
tionis Davidicæ, aliisque, quæ Regi suppe-
tebant, cogendarum divitiarum commodis,
lectores revocant ad fidem Davidicæ opulen-
tiæ,

tit, omnemque removent a Sacris libris suspicionem corruptionis, & exaggerationis.

DISSENTATIO

De Templis Veterum.

Nulla apud homines religio subsistere unquam potest sine cultu aliquo sensibili, externarumque ceremoniarum ritu, cuius exercitio, veluti tessera quadam, veræ religionis cultores inter se convenientes ab exteris discernantur. ^{a)} Quare non immerito credimus templo & loca religiosa, quo simul homines ejusdem religionis coirent, ipsi mundo æquæva, pares cum illo natales fortita fuisse; quippe quæ portio sunt religionis naturalis, atque supremi, & indispensabilis hominum officii necessariæ quædam consequentes.

Templorum tamen necessitas non quidem ex Dei natura, sive indigentia aliqua, neque ex ipsius aliquo præcepto consequitur. Namque ea licet loca Numinis majestas infideat maxime, & clementiæ atque præsentiaæ suæ majora ibi exhibeat documenta; detrahunt cæteroqui aliquid majestati, & gloriæ, qua simul omnia Numine suo implet, cum nullis

alio-

^{a)} August. l. 19. contra Faust. In nullum nomen Religionis, seu verum, seu falsum coagulari possunt homines, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum visibili consors colligantur.

alioqui limitibus clausum ad certos quosdam
 limites redigere, quique omnia simul unico
 intuitu lustrans ubique præsto est, intra certi
 loci angustias continere videantur. Quare
 construendorum templorum, & nominis illis
 imponendi, Domus scilicet Dei, primus au-
 thor non satis augustæ Numinis majestati con-
 fuluisse non tantum nobis, sed & prophanis
 ipsis creditur. a) *Non opus est, fana ædificare.* *Fanum enim, quod non sit magni pretii, & sanctum, nihil est existimandum. Nullum autem magni pretii, & sanctum est ædi-
 ficatorum opus, & illiberatum opificum.* O
 stupidi profecto mortales ! inquit Heraclitus,
 dicite, quid Numen illud fuerit, quod vos
 intra murorum angustias clauditis ? latetne vos,
 Deum neque corpore constare, neque opus esse
 manuum hominis, sed totum sibi mundum in
 templum dedicasse ? Privata illa templo omnia
 interdixit Plato de legib. l. 12. namque ait : To-
 tus mundus Diis omnibus commune est templum.
 Si quæ autem ille ædificanda Diis templo permit-
 teret, ab iis volebat aurum, argentum, ebur,
 ferrum, æs omne abesse. Veteres PP. quibus
 vitio vertebant pagani nulla habuisse Dei tem-
 pla, reponebant se peculiaribus carere, quod
 unicum haberent verum Dei templum mun-
 dum universum ; sicut & deliciæ Numinis non
 loca muris clausa fuisse, sed hominum pectus.

Non-

a) Zeno apud Clem. Strom. l. 5.

Nonne, addit Arnobius l. 6. contra gentes, prima, & maxima contumelia est, habitationibus Deos habere districtos? Salomon post excitatum Numini templum longe, quam cætera quæcumque, augustissimum, ultiro fatur 3. Reg. 8. 27. Cælum, & cœli cœlorum te capere non possunt; quanto magis domus hæc, quam ædificavi? Deus ipse Isai. 66. 1. 2. hanc de templis ideam ingerit: Cælum sèdes mea, terra autem scabellum pedum meorum; quæ est ista domus, quam ædificabitis mibi? & quis est iste locus quietis meæ? David consilium inivit augusti Domino templi excitandi; Salomon pium illud opus exequutioni mandavit: Sed non excelsus in manufactis habitat, ait S. Steph. Act. 7. 47. 48.

Nostræ igitur indulgens tenuitati Deus, nostrisque commodis serviens, orationis loca sibi consecrari permisit, ubi a mortalibus oblatæ sacrificia acceptans & vota, dum nostrorum nos memores sumus officiorum, beneficiorum est ille non immemor. a) Non ita nos templo excitamus, quo a temporum injuriis, pluviis, ventis, procellis Deus in tuto ponatur; b) neque ministrorum atque sacerdotum

Calmet Dissert. T. IV.

C in-

a) Non propter locum geniem, sed propter gentem lucum Deus elegit. 2. Macch. 5. 19. Vide etiam 2. Paral. 6. 19. b) Note idcirco attribuimus Diis templo, tanquam humidos ab his imbre, ventos, pluviasque arceamus, aut Soles, sed ut eis possimus coram, & cominus inuieri, affari de proximo, & cum præsentibus quodammodo venerationum colloquia miscere. Arnob. l. 6. contra gentes.

indigens eos a nobis reposcit. Nos ea ratione debit is consuluimus nostræ religionis officiis; nos ibi ad illum erigimus, insitamque erga Numen reverentiam & obsequium altius inbibimus. Uno verbo totus cæremoniarum apparatus, & extrinseca religionis gloria internæ religioni servit; atque visibile istud templum ædificationis intimi in cordibus nostris templi confert; ubi sane in spiritu & veritate Deus, quo unico delectatur obsequio, colitur.

Primi illi mortales in religionis exercitio minus externam pompam fastumque curabant: cultus erat illis simplex, & purus; sinceror etiam illis, quantum conjicimus, religio, atque in intimo cordis recessu se continens, minus in externum effluebat. Pii illi & religiosi viri, paucis externæ religionis summam complexi, intimis cordis obsequiis se totos addixerunt. Rara tum temporis loca religiosa, ubi Altissimo litaretur; neque usu adhuc probata tempa, successu temporis dedicata. A) Externarum cæremoniarum affluentia nondum intimum, quod caput est, religionis obruerat; neque monstri illud adhuc apparuerat, ut quod inferius est, potissimum locum obtineret. Ante diluvium aris tantum erectis totum conficiebatur; nec major fuit religionis apparatus diu post ea tempora. Abel, Noë, Abraham, Jacob, viri illi profecto religiosissimi, nulla

ta-

A) Eus. Præp. lib. I. cap. 9.

tamen adhac templa norant. Altare simplex, in loco puro, & seorsum posito, erectum absque simulacris, ornamentis, divitiis, Deo statuebatur ; circum habebat sive lucum, vel horrorem aliquem religiosum ; vel saltē in edito quodam colle eminebat : eo fideles redigebantur officiis suis Domino præstandis.

Nec magis constat, an victimarum immolandarum ritus ante diluvium obtinuerit ; facile enim res dilata usque post permisam Noëmo escam ex animantibus. Ex tunc concessam sibi etiam facultatem offerendi sanguinis, & carnem victimarum vir ille sanctus autumavit. Ante hæc tempora ex annuis proventibus aliquid Domino dedicabatur, huic primiæ fructuum, huic lac, adeps, & armenitorum lanæ. Hæc Scriptura habet de religione ejus ætatis. Hæc veteres tradunt, primævam illam religionem celebrantes, veluti cuius sanctitati, simplicitati, & innocentia nihil esset reliquum. A) Altaria olim (canit vetus Poëta) nullo taurorum sanguine cruentabantur. Pecus aliquod de grege neci tradere, ut carnes in escam pararentur, nefas habebatur ; aberrant thura, procul victimæ cruentæ ; oleribus litabatur prius in altum elevatis, veluti ut essent in oblationem Authori naturæ, deinde ignibus impositis. Religio hæc adeo frugi facile sine templorum, & ingentium mo-

lium fastu, ministrorumque satellitio transigebatur. Aræ ipsæ simplices, & sola religione ornatae. Quam Jacob, visione recreatus in Bethel, cum iret in Mesopotamiam, erexit, rudi constabat lapide, quem ille capiti suo jam supposuerat. Ex lapide in altare statim transfivit, cum simplici oleo dedicaretur, Genes. 28. 18. E Mesopotamia vero rediens locum repetiit voti antea nuncupati reus, ibique decimas omnium bonorum persolvit. E rudi pariter lapide altaria Domini fabricanda Moyse edixit, Exod. 20. 25. Deut. 27. 5.

Abraham conciliaturus venerationem altari a se excitato in Bersabee, lucum inplantavit, Genes. 21. 33. quod ejus ætatis moribus veluti templi quoddam genus habebatur; eumque locum religionis, atque sacrificiorum causa, una cum tota familia frequens adibat. An hæc vir ille pius e Chananæorum, quibuscum habitabat, religione derivarit, vel potius intimum animi ductum, Deique intime monensis suggestionem in eo loco conserendo secutus fuerit, incertum. Sed plane constat, nihil post aras vetustius occurrere, quam lucos religiosos. Nihil apertum in Moyse de templis; frequenter vero de lucis, idolis consecratis. Jubet Israëlitas aras omnes subvertere, vastare lucos, destruere monumenta sacra, sive Chananæorum statuas; nihil tamen uspiam habet de templis; habuisset autem,

si frequentia in regione fuissent. Et quidem nunquam legimus, in devictis citra Jordanem regionibus templa ulla ab ipso eversa, quamquam totus ille tractus cultui Numinum Phegor, Moloch, & Chamos addictissimus esset.

Profecto idola illa nulla habuisse templa videntur præter lucos, sive ædicularas, vel tabernacula, quibus eorum statuæ circumferabantur, juxta ac Amos describit 5. 26. *Portatis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, fidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.* Sunt etiam, qui in dubium revocaverint, an statuæ ipsæ moribus earum gentium receptæ fuissent. Veteres, agentes de primis illis idolis Arabum, inter quos Moabitæ, & Ammonitæ censebantur, illa depingunt tanquam lapidibus rudibus, sive ferro expolitis, sed non in simulacrum humandum, constarent. Vetustissima Phœnicum Numinia virgæ erant, vel hastæ, & columnæ in honorem Deorum erectæ, ait Sanchoniato, seu Porphyr. apud Euseb. Præp. lib. I. cap. ult. Idcirco (ait Trogus lib. 48.) nostra ætate obtinet, ut hastæ sive sceptræ manibus Numinum imponantur: *Nam ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres hastas babuerunt.* Apud Josephum contra Appion. lib. I. mentio inducitur de columnis pretiosis in veteri templo Tyri consecratis. Septuaginta plerumque red-

dunt vocem hebræam *Matzaba*, quam alii statuas interpretantur, reddunt (inquam) columnas, quod sane melius vim originalis nominis exprimere videtur.

Satis etiam constat de vetustate cultus sacris lucis non minus, quam idolis in iisdem locis erectis exhibiti. Gedeon lucum Baal vastavit, *Judic.* 6. 27. & Reges Israël, & Juda vicissim plures Numinibus consecraverunt, a) quos tandem ab aliis Regibus succisos, eversis simul aris, & idolis, scimus. Non aliunde sane derivabantur scelera illa, & abominationes, quas non raro Prophetæ Judæis exprobant. De lucis pro templis ab Ægyptiis implantatis sermo est apud S. Clementem Alexandrinum. Templum Jovis Ammonis circumambiebat lucus, sicut & templum aliud Carthaginis, de quo Virgilius:

Lucus in urbe fuit media - - - -

Quidam etiam luci sacri in Arabia a geographis describuntur, inter quos celebratur lucus palmarum, qui ipsissimus esse lucus Elim, ubi Israëlitæ castra metati sunt post transfretatum Erythræum, vulgo creditur. Locum certo Numini sacrum custodiebant sacerdos duplex, mas nempe & fœmina. b) Celebrantur & lucus Daphnes in suburbis Antiochiæ, ubi ora-

a) 3. *Reg.* 14. 15. 23. & 15. 13. & 16. 33. & 4. *Reg.* 13. 6. & 18. 10. & *passim.* b) *Strab.* lib. 16.

oraculum Apollinis, & Dianæ. a) Apud Indos religiosæ erant arbores, quarum sanctitatem nemo non maxime impius violasset. b) Apud Græcos par erat cultus in quercus, & in oraculum Dodonæum. In monte Vaticano (ait Plinius) c) vetustior erat urbe ilex ante inaugurationem urbis sacra. Erant & veternosæ arbores vittis redimitæ, quibus ipse de se Arnobius testatur, ante ejurata idololatriæ sacra cultum impendisse. d) Priscis Gallis, quantum scimus, pro templis luci tantummodo erant, in quibus erectæ rudi opere statuæ super arborum truncos, pro basibus constitutos. Lukanus :

- - - - Simulacraque mœsta Deorum
Arte carent, casisque extant informia truncis.

Germani, crassior olim gens, sapienter tamen nec cobibere parietibus. Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare ex magnitudine cœlestium arbitrantur, ait Tacitus de morib. Germ. Nec tamen deerant genti Numinæ, & statuæ, sed ex stipitibus rudibus, & impolito lapide. Hæc autem signa (sequitur idem Tacitus) detracta lucis in prælium ferunt. Templis carebant, defectum suppletibus sylvis, quarum horror, & silentium pro

C 4 Deo

a) Idem lib. 16. b) Q. Curt. lib. 5. c) Vetustior urbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis literis Herrufis, religione arborem jam tum dignam fuisse significat. Plin. lib. 16. cap. 11. d) Arnob. lib. 1. pag. 22. Picturatas veternosæ in arboribus tenias, si quando conspexerant, &c.

Deo ab ea gente habebatur. Quot insuper florentissimi populi diutius sine templis, aris, & statuis manerunt? Cum Celsus in Christianos scriberet, saeculo nempe Christi secundo, omnis Scytharum, & Nomadum Africanorum, ac Serum religio veterem hanc disciplinam referebat. Vide Orig. contra Cels. l. 7. pag. 373. Eodem jure censabantur olim Persæ, qui sub dio in editis collibus non statuis, sed Cœlo, aut Lunæ, aut Soli, quin & ventis, aquæ, igni, terræ litabant; ratique Deum anima, & vita animantis tantum delectari, reliquam victimam inter se dividebant. a) Xerxes, & Cambyses asserendo Numinum honori, quibus irrogatam injuriam dictitabant, quod præpostera religione in templo clausa detinebantur, omnia subrui templa alter in Græcia, alter in Ægypto jusserunt.

Persarum templa satis respondent *Chamanim* Scripturæ, b) quæ loca erant sub dio, murorum tantum ambitu clausa, ubi in honorem Solis ignis perpetuus alebatur: unde apud Strabonem l. 15. *Pyreiorum* nomine designata sunt. Extant autem in Oriente ex iis ædificiis quædam, veteris superstitionis documentum, Soli, ut vulgo creduntur, consecrata.

Post arbores & lucos nihil, quantum scio, in pagana religione vetustius ædiculis gestatoris

a) Herod. lib. 1. & Strab. lib. 15. b) Levit. 26. 30. & 2. Paralip. 14. 4. & 34. 4. Isai. 17. 8. & 27. 9. Ezech. 6. 4. 9.

toriis, & laribus. Ex his laribus creduntur Teraphim Labani. Ad ædicas referenda censeo tabernacula Moloch, quas Israëlitæ per desertum secum in itinere portarunt, Amos 5. 26. & Ephod Gedeonis, Judic. 8. 27. & Michæ ibidem 17. 4. Frequens erat in Ægypto mos. Quot annis ædicula Jovis trans Nilum devecta in Lybiā comportabatur, tum & post aliquod temporis in Ægyptum restituebatur. a) Narrat Q. Curtius l. 4. sacerdotes Jovis Ammonis Numen aureæ navi, ad utrumque latus plurimis lancibus argenteis appensis ornatæ, imponere consueuisse. Isidis simulacrum gestabant humeris sacerdotes, umbella ferica super caput pendente; nec aliter quam super humerum ministri vehebatur vacca illa Sacra, ministri (inquam) gravi interim passu, quasi Numinis majestatem æmularetur, procedentis. b) Apud Baruc. cap. ult. 3. sermo est de Numinibus quibusdam Babylonis, quæ velo tecta purpureo, solejni apparatu circumferebantur. Eustathius in Iliad. 1. tradit, consueuisse apud veteres templa plaustris imposita transferri. An hæc ad imitationem Arcæ, & Tabernaculi Domini paganorum moribus usurparentur, vel Deus genio, indoli, & habitu dini Judæorum indulgens, consecrari sibi veterem hanc Ægyptiorum superstitionem vo-

C 5 luerit

a) Diod. Sicul. apud Eus. Præpar. lib. 10. cap. 8. b) Apul. lib. 11. Asini aurei.

huerit, cuius scilicet superstitionis in Ægypto acceptæ memoriam alte retinerent, incertum.

Ex more deferendi Numina in plaustris, equis, sive humeris imposita, tum & ex domesticis illis facellis, sensim obtinuit ingens ille templorum numerus, seu potius ædicularum, thecarum, vel sellarum gestatoriarum, quas in tota antiquitate frequentes legimus. Act. 19. 24. mentio inducitur de ædicularis argenteis Dianæ Ephesinæ, quarum ingens instituta erat Ephesi negotiatio. De ædicularis Plinium lib. 36. 5. de thecis aureis ab Osiride dedicatis Jovi, aliisque Numinibus aedes Dodorū Siculum Bibliot. l. 1. Apud Herodotum l. 2. c. 63. sermo est de statua Solis plaustro devecta in urbe Papremide, jumentorum officio viris fungentibus. Pro veteri Jani templo stabat angustum facellum, binis æneis januis augustis oppido instructum; claudebantur autem fores illæ, cum pacatum esset Imperium. Porro ænei hujus facelli, & quadrati tam sublime erat fastigium, quantum Numinis simulachrum stans, ad quinque pedes tantummodo assurgens, contineret. Julio Cæfari *aurata ædes ad simulacrum templi Veneris genitricis collocata est*, ait Sueton. in Jul. cap. 84. Memoriæ etiam proditum de ænea Jovis ædricula a) Spartæ, sicut & de alia Delphis; b) ac tan-

a) Vide Paul. in Lacon. b) Idem lib. 10.

tandem de Minerveo Romæ ejusdem operis,
& materiæ.

Frustra vero quis certam ædificandorum templorum epocham quærat. Jam inde a vetustissima ætate cœpisse morem constat : sed ea est antiquissimarum consuetudinum indeoles, ut originem habeant obscuram, cuius inductæ honorem variæ sibi gentes vindicent. Planc si eo nomine designatum voluerimus locum quemcumque Deo Sacrum, vel ille cancellis sepiretur, vel muris, vel coriaceis ligulis, vel sub dio expositus pateret, vel culmine tegeretur ; si (inquam) ea omnia nomine templi usurpentur, ipsi coœva religioni templo credi par est. Luci circum altare implantati, loca cœli injuriis patentia, & circumsepta, ubi in honorem Solis perpetuus ignis detinebatur ; claustra cancellata, uti de templo Gaditarum in honorem Herculis memorie proditum est, a) & Junonis in insula Samo ad amnem Imbrasum, b) templi nomine jure censentur ; non secus ac Tabernaculum Dei Israël, junctis simul asseribus constans, atque velamentis opertum. c) S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 5. obtinuisse refert apud sacerdotes Ægyptios, ut Minervea ædificarent omni remoto tecto patentia, & absque simulacris.

a) Sil. Italic. lib. 3. b) Strab. lib. 3. c) *Templum non solum, quod potest claudi, verum etiam quod palis, aut aliquatenus re, & lineis, aut toris, aut simili re septum est. Servius 4. Aenid.*

lacris. Hæc omnia sub uno templi nomine constant. Sed nobis impræsentiarum origo templorum exquirenda est, quæ ad modum ædium ædificata suo teguntur culmine, ut ab injuriis idola constituerentur in tuto, & populi in religionis cœtus coirent. Tempa sane ita usurpata suam facile debent originem simulacris & idolis, quibus spiritale Numen, caducis velatum exuviis, in sensibilium rerum censum ita redactum est, ut culmine templis imposito laborandum esset mortalibus, ut injurias ab illo aëris, & temporis propulsarent. Porro viri illi rudiores aspectu se tantillorum materialium Numinum solabantur, quare visum est, certo aliquo in loco Deum detinere, quo semper hominum indigentiis præsto esset, & pervius obsequiis. Quamdiu alia de Numine idea mansit, quod nempe immensum, infinitum, omnia replens loca, & nullibi non præsto haberetur; tunc nec tempa, neque religiosas ædes condere homines laborarunt. Ubi-que Dei majestas & sentiebatur, & colebatur.

Cautiorem ea re populum suum fieri Deus Israël voluit, cum sibi templum ædificari postulantibus permitteret. Professus est enim, se cœlum, & terram suo Numinе implere, longeque proinde abesse, ut in constructis humana industria ædificiis contineretur, indulgere se tamen voluisse instabili rudioris gentis ingenio, ut scilicet fixum aliquod haberet,

cer-

certumque templum, neque pro arbitrio per alia finitimarum gentium Numina vagaretur. Unicum tamen sibi erigi statuit, quo Numinis singularitas magis magisque insinuaretur. Eo venire jussit populum semel, iterum, & tertio singulis annis, tanquam præstandis vero, & legitimo Domino obsequiis. Cavit tandem, ne alibi, quam in templo sacrificia offerentur, etiam atque etiam contra Deorum pluralitatem, atque idololatriam populum suum præmuniens. Quare templum illud velut aula Regis, & summi totius Israëlis Moderatoris habendum erat, quo convenire populi in obsequia Regis jubebantur.

Antequam tamen condendi templi vero Deo consilium caperetur, plura jam sibi construi dæmon curaverat, in Ægypto maxime, constitutæ primum idololatriæ fede. Sunt etiam, qui ante diluvium ædificata quædam in honorem astrorum crediderint, quem fane cultum ab Enos invectum ferunt. A) Templi Dææ Syriæ originem ad Deucalionem, cuius ætate diluvium contigit, referri a nonnullis Lucianus, de Dea Syriæ, est author. Porro Deucalion non raro cum Noëmo confunditur; quare vir iste pius templorum primus author crederetur. Sed quid Noë deputandum sit, ex Genes. 8. 20. intelligimus: *Ædificavit Noë*

Al-

A) Maimonid. de Idolol. cap. 1. §. 2. apud Spencer. de legib. ritual. lib. 3. dissert. 6. cap. 1.

Altare Domino, post diluvium : nihil hic profecto de templo. Constitutorum templorum in Ægypto honor Osiridi tributus a Diodoro lib. 1. videtur ; narrat enim principem illum, deinde inter primores regionis Deos habitum, templum erexit augustum , & magnificum utrique parenti, Jovi nempe, & Junoni ; geminas insuper ædicas aureas Jovi consecræse , ampliorem Jovi Cœlesti , minorem alteram Jovi Ammoni ; adjecisse insuper alias aureas aliis Numinibus. Arnobius adversus gentes l. 6. mavult a Phoroneo , sive Merope templa Ægyptia repetenda. Porro Phoroneus Abrahamo coævus creditur Eusebio , qui Apim ejus successorem circa Isaaci tempora consignat. Artapanus apud Euseb. lib. 9. Praep. cap. 23. & 29. Lysimachus , Josephus , & Rabbini sustinent, templa jam inde a Moysis ætate familiaria in Ægypto fuisse ; ex quibus templa Athos , & Heliopolis ab Hebræis, cogentibus Ægyptiis, ædificata Artapanus est author. Addit insuper in ipso secessionis Israëlitarum ab Ægypto articulo omnia simul religionis templa corruisse ; sicut & in obsequium virgæ Mosaicæ , de qua mira ferebantur , plures non dissimiles virgas Ægyptios in omnibus templis conœcrasse ; Lysimachus apud Josephum contra Appion. lib. 1. narrat : Moysem una cum Hebræorum exercitu omnia, quæcumque obvia habuerunt in itinere , subruisse. Illud Exod.

12. 12. In cunctis Diis Ægypti faciam iudicia, a) ita interpretantur Judæi, quasi omnia Ægyptiorum templa Israëlitæ in sua ab Ægypto secessione subverterint. Josephus Antiq. l. 4. c. 8. pag. 120. ita Deum Israëlitas alloquenter inducit: Jubeo vos igne, & ferro vastare lucos, aras, & templa Chananæorum, ut ne vestigium quidem supersit. De templo, vel æde Phegor sermo est Deut. 34. 6. & Josue 15. 41. ibidem etiam mentio injicitur Beth-sames, quæ facile sibi nomen a templo Solis accivit, Josue 13. 20. Plura sub Judicibus occurrunt in Chanaanite templorum, ut Baal-Berith Judic. 9. 46. Dagon 1. Reg. 5. 2. & alterum a Samsone in urbe Gaza subversum, Judic. 16. 27.

Quamquam hæc ita se habeant, illud tamen constat, nunquam apertam templorum mentionem apud Moysem legi; namque vocem Betphegor, seu templum Phegor, in Deuteronomio adjectam constat, cum opus post obitum legislatoris recenseretur. Sermo apud ipsum tantum occurrit de lucis, aris, collibus, monumentis, & Chamanim, nempe claustris Soli dicatis, ubi ignis perpetuus detinebatur. Quemadmodum ex Levit. 26. 30. intelligitur. Faciles etiam credimus, nulla fuisse in Ægypto ea ætate tempora, exceptis ædicolis, vel gestatoriis thecis, plurimum quidem & forma,

&

a) Vide etiam Num. 33. 4.

& usu ad Tabernaculum Domini accedentibus.
 Nec inviti quidem suspicamur, eos, qui vetu-
 stissimam templis originem afferuerunt, vul-
 gatum fuisse errorem secutos, quo religioni,
 regno, urbi, templo totam vetustatem con-
 ciliant, rebus debitam, quibus ipsa substituta
 sunt. Exemplum succurrit in templo Deæ
 Syriæ, quod, teste Luciano, alii a Deucalio-
 ne repetebant, alii a Semiramide, vel Atte,
 vel Baccho; quamquam ipse oculatus testis af-
 firmat, templum illud, quale spectavit, ve-
 tustius non fuisse Combabo, viro sane præ illis
 omnibus recentiore. Sed hæc tamen (inquit
 ipse) nihil de vetustate hujus templi præ cæ-
 teris omnibus totius Orientis detrahebant, cum
 super rudera constructum diceretur, vel sal-
 tem juxta vetus aliud templum; forte gesta-
 toriis ædiculis Deæ Syriæ successerat. Quid-
 quid tamen sit, faciles concedimus Ægyptiis
 primum ædificatorum templorum Diis hono-
 rem, quem ipsi sibi apud Herodotum lib. 2.
 cap. 4. vindicant; qua de re nos contentiosum
 cum illis funem trahere recusamus.

Fateamur tamen oportet, Chaldæorum,
 Phœnicum, & Syrorum templa antiquitatis
 gloria nihilo Ægyptiis concessisse; quemad-
 modum de templo Deæ Syriæ nuper observa-
 vimus. Parem cum priori illo jactitat anti-
 quitatem templum Astartis in Phœnicia, seu
 Ascalone, quod vetustissimum esse omnium

hu-

hujus Deæ ex fama in ea regione constanti asserit Herodotus lib. 1. cap. 105. Templum Herculis Senioris in urbe Tyro inter primora ejusdem regionis celebratur. a) Huic jungas Jovis templum in monte Casio a nepotibus Castoris, & Pollucis, uti ferunt, dedicatum. b) Pseudo-Sanchoniato agit etiam de ædificiis gestatoriis Dei Agrotis, cui maximi omnium Numinis titulum vetera Phœnicum monumenta tribuunt. c) Circumferebatur ejus simulacrum aureum in plaustro, quod plura boum juga trahebant. Alterum occurrit apud Lucianum de Dea Syriæ templum Veneris, a Cyndira in monte Libano constructum. Templum Beli Babylone pari cum reliquis antiquitatis gloria certabat. Ex his omnibus pleraque eodem antiquitatis gradu cum templis Ægyptiis procedere poterant.

Frequentia erant apud Græcos templa belli Trojani ætate; cum jam inde, & duodecim magni Dii, & plures Heroës inter Deos relati, ejus gentis religionem omnibus numeris absolvissent. Porro inventorum templorum gloriam inter Græcos tribuendam credit Arnobius lib. 6. contra gentes, Æaco filio Jovis; alii malunt Epimenidi inter primores Cretæ philosophos. d) Sed philosophus iste multo est Æaco, & Trojano bello recentior. Sane

Calmæ Diff. T. IV.

D

Py-

a) Herod. lib. 2. cap. 44. b) Euseb. Præp. lib. 1. cap. 10. c)
Sanchon, apud Euseb. loc. cit. d) Laëkt. lib. 7.

Pythagoras Epimenide vetustior s^epe de templis agit ; a) atque traditione acceptum narrant , Aborim philosophum Hyperboreum nō tem in his locis religiosam ducere confue-
visse. Narrant etiam alii b) Cretem , primum insulæ ejus nominis Regem , templum in sua ditione Cybeli Deorum matri dedicasse ; quem sane virum Epimenide multo antiquorem fa-
teri cogimur , si philosophus iste circa Olympiadem 47. floruisse credatur. Memoriæ etiam proditum legimus , templi Apollinis in insula Delo authorem fuisse Erisichthonem , filium Ce-
crops Regis Athenarum ; Cecrops autem mille ferme annis Epimenide vetustior est. Hæc de vetustate templorum apud Græcos , quos sane plurima , sicut in aliis rebus , ita & in reli-
gione potissimum ex Ægyptiis derivasse Herodotus animadverrit lib. 2. cap. 49. 50. 51. 52. Ex eo fonte deductum in Græciam oraculum Dodonæum vetustissimum omnium in ea regio-
ne ; ex eo nomina duodecim Deorum : an ex illis etiam consuetudo altarium , & templorum ?

Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 9. ex Zenone narrat : *Janum in Italia primum Diis temple fecisse , & ritus instituisse sacrorum.* Ferunt Romanos vacuam habuisse a simulacris religio-
nem non modico temporis spatio ; donec sub Tarquinio Prisco circa annum 170. ab U. C. in vacuis templis simulacra constitui primo cœpta sunt.

a) *Vide* Jamblīc. vita Pythag. b) *Vide* Euseb. Chronic.

funt. a) Romulus templum statuerat Jovi Fe-
etrio ; Numa religionem Romanam formave-
rat ; sed religionem frugi, & simplicem, nu-
dis scilicet templis contentam, & simplicibus
sacrificiis sine fastu, impietate, & dissolutione.

Cum Numinum paganorum fere omnia ex
mortalibus fuissent consecrata, quos sane mor-
tales in censum Deorum supersticio transtule-
rat ; ita potior templorum pars mausolæa ve-
rius referebat, supra eorum sepulchra erecta,
quam templo ; quod sane documentum erat
apertissimum cultus recenter invecti , simul-
que ejusdem cultus prodebat vanitatem , cum
sæpe Divinis honoribus colerentur homines
corruptissimi, quorum ne memoriam quidem
mansisse par erat. Quam enim in superstites
habebant observantiam , hanc ne post mor-
tem quidem deponentes , transferebant in ci-
neres, & exutos corpore spiritus ; quare mi-
nus ferentes errare illas animas sine laribus, &
sedibus vagantes ; illas (inquam) animas, quas
subtili quodam corpore constantes , arctoque
amicitiæ fœdere exuvii corporeis conjunctas,
atque pristinarum sedium amore detentas opi-
nabantur ; consulendum illis autumarunt ,
ædium quarundam ædificio , quas illæ inco-
lerent , & sacrificiis, atque aromatum odora-
mentis tedium levare, morasque dulces trahere

D 2 pos-

a) *Vide Plutarch. in Numa Dion. Halycarnass. Tertull. Apolog*
cap. 25. August. de Civit. l. 4. cap. 31.

possent. Vide Spencer. de legib. ritual. lib. 3. cap. 1. dissert. 6. sect. 5.

Quæ jam innuimus de monumentis viorum clarissimorum, præpostera religione in templo consecratis, redditisque in loco sepulturæ Divinis honoribus, authoritate veterum Patrum Ecclesiæ fulciuntur, uti S. Clementis Alexandrini in Protreptico pag. 29. Eusebii Præp. lib. 2. cap. 5. Arnobii adversus gentes lib. 6. S. Cyrilli Alexandrini contra Julianum; assentiuntur & recentiorum authorum plerique, longam templorum hujus generis seriem diducentes. Templum Minervæ Larissæum, monumentum erat Acrisii; alterum in arce Athenarum, monumentum Cecropis. Templum Peliadis, Erichtonii, & Eleusinæ, Ismari sepulchrum habebantur. Duæ illæ mulieres Hyperboreæ, scilicet Hyporoche & Laodicee sua habebant mausolæa in æde Dianæ intra templum Apollinis Delphici. Hæc ex Clemente Alexandrino delibavimus. Arnobius etiam asserit, horum templorum partem non modicam, quorum superbirent auro solaria, atque culmina adeo erigerentur, nonnisi humiles condidisse cineres, & ossa, nec nobiliori excitata esse officio, quam ut essent cadaverum sepulchra; quemadmodum (ait idem ad paganos conversus) ex vestris ipsorum scriptis convincere possumus. Argumentum inde trahit apertissimum contra paganorum cultum;

quip-

quippe qui inexpiabilis sceleris rei essent, mortales homines Divinis honoribus colentes, atque crimen in Deos inferrent, quorum excitata templa super tumulos mortalium voluerent. Ita ferme & Eusebius philosophatur, contendens, si ipsi repetantur idololatriæ fontes, atque superstitione ad suam revocetur originem, facile demonstrari posse, primos invectæ religionis paganorum authores fuisse homines perditissimos, qui metu quodam, & avaritia, vel etiam præpostera quadam in patronos suos observantia, eorum memoriam perennatam voluerunt; qua in re (inquit ipse) excusatione digni fuisse, si eousque furoris non processissent, ut e mortalium conditione translatos viros, sibi, vel patriæ beneficos, in ipsas Deorum immortalium sedes invehere non ausi fuisse. Acceptæ a patribus suis religionis (loquitur idem Eusebius) cum filios puduisset, quo se ab omni crimine ponerent in tuto, novam invexerunt Theologiam, qua omnia ad figuræ, & mysteria pertraherent; obtendentes, sub ementito Deorum nomine nihil quidem mortale designatum fuisse, sed naturales maximorum in tota natura effectuum causas, uti solem, terram, aëra, ventos &c. Celebris illa turris a Belo Babylone constructa, inter orbis portenta olim habita, ejusdem Beli monumentum erat, authore Strabone lib. 16. De templis vero Romanorum uni-

versis hæc Prudentius lib. i. contra Symmachum :

*Et tot templa Deum Romæ, quo in urbe sepulchra
Heroum numerare liceat.*

Nec alia erat Ægypti disciplina, apud quos nulla facile templa carebant sepulchris, sive Deum, sive animalium quorumdam sacrorum. De his tumulis sermo est apud Herodotum, & Diodorum; quamquam subobscure Herodotus loquitur; quippe qui mysterium silentio premendum sibi in ea re autumaverit.

Ex his omnibus fusius a nobis hucusque digestis facile intelligimus, omnium templorum, quorum ad nos cognitio certa devenit, vetustatem præ Moyse minorem fuisse; quamquam ambigendi locus de templis Ægyptiis manet; cum nec de Phoroneo tamquam primo conditorum in Ægypto templorum authore constet, neque, si constaret, de ætate ejusdem Principis certi aliquid habemus. Reliqua omnia templa Chaldaica, Syriaca, Phœnicia, Græca, insularum Italiæ, & populorum, quos Barbaros appellant, vetustate Moyſi concedunt. Quando enim ædificati templi Deæ Syriæ author Deucalion haberetur, non tamen Moyſe vetustius esset; cum diluvii Deucalionei epocham circa secessum Israëlitarum ex Ægypto constituamus. Celebratissimum illud Babylonis templum Belo sacrum, de quo nos infra, ante Nabuchodonosorem qui-

quidem, incertum tamen quo authore, conditum erat: sunt, qui a Semiramide credant, nempe multo post Moysem tempore. Jupiter, cæterique Dii coævi, sicut & ejus filii, ut Æacus, authores templorum in Græcia, &c. 100. annis a Moysè superantur. Janus suppar erat Saturno patri Jovis. Templum Herculis Tyri non sane majorem jactare poterat vetustatem, quam urbs post obitum Moysis condita. De reliquis templis Phœniciae, & Philisthæorum, in ea, qua sumus obscuritate, nihil certi afferimus. Apud Strabonem l. 11. celebratur templum Leucotheæ in Colchide, quod a Phryxo repetit; scitum est autem, Phryxum paulo ante Argonautas in regionem venisse; & Argonautarum expeditio ad ætatem Gedeonis circiter refertur. Apud Ovidium de Ponto 3. Eleg. 2. celebre est templum Dianæ in Taurica, in quod cœlitus delapsum, uti ferebatur, simulacrum. Quo tempore Pylades, & ejus amicus Orestes eo adoraturi venerunt, Iphigenia Orestis foror Sacris præerat. Porro si omnes viri bello Trojano posteriores sunt, quare etiam si ante ducentos annos templum illud conditum habebatur, adhuc tamen Moysis ætate inferius esset. Itaque id ratum haberi potest & firmum, nullum nobis templum Moysè veterius innotuisse.

Non abs re ducimus modo aliquid de forma & habitudine veterum templorum, quo Salomonico comparentur, afferre. Hæc de templis Ægyptiis apud Strabonem leguntur. A) Obvia primum occurrit quadrata & instrata lapidibus area, jugero circiter patens, & quadruplo, vel saltem triplo porrectior, quam augusta tria vestibula, alterum post alterum, excipiebant. Ex his aditus in atrium amplum satis, & magnificum, in cuius fronte templum assurgebat, mediocre illud mole, atque timulacris omnibus vacuum, nisi forte figuræ quorundam sacrorum apud Ægyptios animalium exhibuerit. Omnia itaque religionem & magnificentiam spirabant, luci sacri, atria, porticus, areæ, ceremoniæ mysticæ. Ministri religiosa quadam gravitate rebus sacris operabantur.

In tanto religionis apparatu templum demum ingressis offerebatur felis, canis, simia, hircus, crocodilus, vel quid simile. Similem templorum structuram describens S. Clemens Alexandrinus Pædag. l. 3. c. 2. magnificentiam lucorum, atriorum, & porticum celebrat; atria & vestibula ornari testatur magnificis columnis, parietes lapidibus rarissimis, & pretiosis incrustari; interiora templi oculos præstringere fulgore auri, argenti, & pretiosi illius metalli, quod *Electrum* appellant. Penetralia vero

a) Strab. lib. 17. Vide Herod. lib. 2.

vero (ait) a reliquo ædificio separant *circumtexta*. Sed cum locum ingressi de Deo quæ *prætunc* sacerdos ad majestatem composita graxitate velum reducens, felem , & crocodilum, vereturum aliquem anguem super ditissimum purpureum tapetem reptantem exhibet.

Simandius Rex Ægypti rerum a se gestarum perpetuum monumentum posteris relicturus, templum construxit, sive magnificum ad miraculum usque sepulchrum , ita a Diodoro descriptum lib. 2. cap. 1. Totum ædificium in quadro positum , spatium 10. stadiorum habebat. Primus ad illud aditus lapide variegato ornatus jugeris 2. porrigebatur , & 45. cubitis assurgebat. Succedebat atrium 4. jugerorum in quadro , quem fastigiatum peristylium ambiebat ; cuius peristylii columnæ singulæ altæ 16. cubitis , & prisco opere in animantium figuram insculptæ perpetuo lapide constabant. Excipiebat deinde illud atrium ejusdem amplitudinis , sed ditius sculpturis , & pretioso columnarum lapide , ac artificio. Ibi expressis ad magnitudinem colossi statuis bellum Simandii contra Bactrianos exhibebatur. Succedebat templum , ubi expressa in ligno sculptura cœtus judicum spectabatur , inter quos medius assidebat præses, imaginem Veritatis e collo suspensam gestans. Inde egredens occurrit ejusdem structuræ magnnm aliquod ædificium, imminens vasto atrio , quod

peristylium ornat. Longius aliquanto surgit Bibliotheca, hanc habens in fronte inscriptam epigraphen: *Animæ medicamentum.* Succedit Bibliothecæ templum, ubi ad viginti usque enumerantur pulvinaria Jovis, & Junonis, spectandumque se Regis hujus ædificii conditoris simulacrum exhibet. Non unam etiam templorum Ægypti descriptionem habet Herodotus lib. 1. cap. 138. 155. 170. 175. 176. ubi Latonæ, Vulcani, Minervæ, & Dianæ, sed nihil ab ea, quam supra ex Diodoro retulimus, differunt. Unius Serapii Alexandrini afferimus, quod, cum ad ætatem usque Theodosii Magni staret, ejusdem Principis jussu in Christianorum templum consecratum est. Hæc de illo Rufinus Hist. lib. 2. cap. 23. *Non natura, sed manu & constructione, per centum aut amplius gradus in sublime suspensus, quadratis & ingentibus spatiis omni ex parte distentus. Cuncta vero, quo ad summum pavimentorum evadatur, opere forniceo constructa, quæ immensis desuper liminaribus, & occultis aditu bus invicem distinctis, usum diversis ministeriis & clandestinis officiis exhibebant.* Jam vero in superioribus extrema totius ambitus spatia occupant exhedræ, & pastophoria, domusque in excelsum porrectæ, in quibus vel æditui, vel bi, quos appellabant agnevontas, id est, qui se castificant, commanere soliti erant. Porticus quoque post hæc omnem ambitum quadrata-

dratis ordinibus distinctæ intrinsecus circumabant. In medio totius spatii ædes erat, pretiosis edita columnis, & marmoris faxo extrinsecus ample magnificeque constructa, interiores delubri parietes laminis primo aureis vestiti. Super has argenteis, ad postremum æreis habebant, quæ munimento pretiosioribus metallis forent. Congesta super concamerato fornice non modicis sumptibus terra, in amplam aream porrigebatur, cuius medium insidebat templum. Hujus templi pretium augebat insignis Ptolomæorum Bibliotheca. Sacro quodam horrore, quemadmodum fere omnia veterum templa, locus tenebatur; tenuis enim lux ea forulo ad orientem patentia ita admittebatur, ut orientis solis radii ipsum idoli os e regione in capite templi positi ferirent. Ex hac descriptione intelligimus hujus ædificii structuram Græci fuisse saporis, alteriusque a priscis Ægyptiorum ædificiis architecturæ. Hoc plane fuit Ptolomæorum opus.

Ægyptiacis templis alterum non absimile, & in viciniis positum, Jovis nempe Ammonis, jungimus. Ergebatur illud in medio sacri luci, templum simul, & arx pro finitimis circum populis. Tribus totum ædificium ambiabatur muris, quorum prior ambitus cludebat veteres Regis ejus regionis ædes, secundus Gynecæum fœminarum, ubi & sedes filiorum

rum ejus Principis. Ibi etiam assurgebat templum, & oraculum Dei Ammonis. Intra tertium tandem ambitum continebantur ædes militum, & aliorum aulæ custodum. Tempa Syriæ, & Arabiæ ejusdem erant cum Ægyptiis architecturæ. Priscis Arabibus, quemadmodum cæteris fere omnibus gentibus, tempa omnia deerant. Maximus Tyrius dissert. 38. vidisse se tradit ejusdem gentis simulacrum nullo exquisitiori artificio, quam lapidis quadrati, elaboratum. Sed altam prorsus ideam de maiestate templorum Arabiæ, & Numinum ejusdem gentis Diodorus ingerere conatur lib. 6. cap. 10. Hæc ille de templo Jovis Triphylii in insula Panchæa. Ædificinum est (inquit) in medio agri læti, & fertilis, quem fruteta, & arbores ornant. Templum non antiquitate minus, quam divitiis, magnificentia, & loci situ præstat. Duobus jugeris in quadro patet. Niveis lapidibus constat structura, quam fulciunt immanes quædam columnæ, sculptura insignes. Simulacris Deorum nihil est reliquum, sive statura spectetur, sive sculpturæ artificium. Sacerdotibus servitiis ejusdem templi destinatis ædes circa templum positæ sunt. Templo succedit circus quatuor stadiis in longum, & jugero in latum : duo circi latera ornant æneæ giganteæ statuæ supra quadratas bases constitutæ. Hoc magnifici templi ædificium. Ejusdem architecturæ gustum aliquem

quem servat templum Mechæ hodie usque manens. Templum, quod *Beitullah*, domus Dei, dicitur, ædificium est 15. circiter passibus in longitudine, 11. vel 12. latum, & 5. brachiis circiter assurgens. Regnat circum turris in quadro, quam ambiunt parietes cum triplici columnarum ordine, fastigiatisque interne patentibus porticibus, quatuor Mahometanorum sectis ad orationem seorsum destinatis. Scitum est, Abrahamum ædificii hujus authorem a Mahometanis reputari. Ejusdem structuræ aliquid referunt splendidissima illa templi Palmyreni vestigia. A)

Apud veteres celebrantur templa Ascalonis, & Herculis Tyrii, quorum nulla superest satis exacta, & fidelis descriptio. Sermo in Scriptura occurrit de templo Dagonis in urbe Philisthaea Azoto; sed altum de ejus strætura silentium, nisi siquid in historia Samsonis legatur, quod conjecturam præbet ejusdem fuisse cum Ægyptiis architecituræ; amplio etenim atrio peristylio ornato imminebat, namque populus ad spectaculum Samsonis accitus, & porticus omnes occupabat, & tecta templi, & peristylii; quæ omnia vir ille insigni robore præstans subvertit.

Neque silentio nobis premendum templum Hierapolis Deæ Syriæ inter primora totius Orientis habitum. In colle modice quidem assur-

A) Tneven, Voyage Levant. 2. part. cap. 21.

assurgente (ait Lucianus de Dea Syr.) medium totius urbis tenet. Dupli muro totum ædificium ambitur. Templi vestibula seorsum ad Boream directa sunt, centum ulnarum magnitudine. Templum ad orientalem plagam, quemadmodum Joniae templo omnia, vergit. In solo 2. passibus prominenti, unde per gradus ascensus, ædes collocatur. Vestibulum statim intuentum rapit admirationem, detinent etiam accedentes aureæ januæ, & templum fulvo metallo coruscans. Imum templi spatum conclave aliquanto prominens semper clausum, & nunquam patens tenet. Intima templi nonnisi sacerdotibus pervia; neque sacerdotibus indiscriminatim omnibus. Erant in loco sacro geminæ aureæ statuæ, Junonis hæc, altera Jovis; quamquam diverso designarentur nomine. Juno exhibebatur leonibus assidens, Jupiter tauris; tertius alter Deus nulli similis Numini, sed ex omnibus aliquid præferens, geminis illis accedebat. Huic Numini Assyri nullum aliud nomen assignant, quam quod statuam, sive figuram exprimit. A) In templum ingredientes ad lævam offendunt thronum vacuum, Solis dicunt; vacuum autem, quod astrum illud per se notissimum nullo indigeat alio, quo exprimatur, simulacro. Succedebat thronus Apollinis, cuius aliud erat apud illos, quam apud Græcos

A) Σημείον.

cos simulacrum ; barbatum enim , & vetustum
Numen præferebat ; cum apud Græcos & Nu-
men sit nudum , & imberbe. Hæc Lucianus
de templo Deæ Syriæ celebratissimo.

Ab his omnibus recedebat structura tem-
pli Beli Babylone. Quadratum enim erat ædi-
ficium , teste Herodoto lib. I. cap. 181. 182.
spatium tenens ex omni latere 2. stadiorum ,
seu 250. passuum. In medio hujus spatii sur-
gebat turris basim habens stadio patentem in
quadro. Porro turris illa septem aliis turribus
minoribus , altera super alteram imposita , con-
stabat. In suprema , & eminentissima turri
templum erat , in quo magnificum pulvinar
cum tabula aurea , nullum autem simulacrum. In ima turri ad porticus solarium aurea Jovis
assidentis figura 12. cubitis procera spectaba-
tur ; accedebat & amplior aurea mensa cum
sede , & scabello ejusdem metalli ; accedebat
& aureum altare , sicut & augustius aliud per-
fectis sacrificiis , sive majoribus victimis offe-
rendis. Persæ , qui nec templa norant , nec
simulacra , cum sibi armorum jure Babylonem
subegissent , everso templo thesauros omnes
abripuerunt. Id factum Xerxi tribuunt Hero-
dotus , & Arrianus. Alexander Magnus ever-
sum jam ædificium restituendum suscepit , sed
morte intercedente ab opere desistere coactus
est. A)

Aliam

a) Arrian. lib. 3. & Strab. lib. 16.

Aliam ejusdem templi ideam subjicit Diodorus lib. 3. cap. 10. namque a Semiramide ædificatum autumat, ejusque altitudinem neminem ad id usque satis exacte definitse contendit. Sed (inquit) tam alte porrigitur ædificium, ut in ejus culmen ascendentes Chaldaei observationes suas astronomicas ad orientem, & occidentem perficiant. In vertice ejusdem templi tria surgunt aurea simulacra, Jovis, Junonis, Opis, quorum prius, & postremum mille talentorum Babyloniorum pondus æquabat. Supererat adhuc Diodori ætate Jovis simulacrum 40. pedibus procerum. Opis throno aureo assidebat, habens ad genua duos leones, penes quos sequebantur immanes totidem argentei serpentes. Junonis simulacrum 800. talentorum pondere, serpentis caput dextra tenebat, altera sceptrum lapideum. Ante Numina posita aurea mensa 40. pedibus in longum, & 12. in latum, 500. talentorum pondere communis erat tribus; quemadmodum & gemini ampli crateres, naviculae figuram exhibentes, ac duo vasa adoleundis aromatibus destinata. Præter hæc, tres positi erant crateres, quorum unus Jovi dicatus, pondere erat 1200. talentorum.

Templum Dianæ Ephesinæ inter celeberrima totius antiquitatis jure, meritoque habetur. Hujus ædificii structura, neque ad Ægyptiam, neque ad Syriacam accedens, quatuor
ad

ad latera exteriora alis, geminis utrinque, distinguebatur; nempe dupli columnarum ordine circum regnante, octo ad geminas frontes ante, & retro replicabantur. A) Porrigebatur totum opus ad 425. pedes, in latitudine vero excurrebat ad 22. Viginti septem supra centum Reges singuli singulas columnas donaverant 60. pedibus altas, inter quas 36. anaglyphico opere insculptæ.

Januas habebat cypressinas, cujus arboris lignum neque corrupti unquam, neque a pristino nitore decedere contigit. Quæ fabri lignarii opere constabant, omnia e cedro erant; atque ad superiora ascensus patebat per gradus ex fuste quodam vitis, e Cypro advecto. Longus esset, si rara & pretiosa singula ornamenta celebratissimi hujus templi recenserem. Sumptus universa Asia conferente, 220. annorum spatio tandem totum opus absolutum est.

Græcorum templo, quod ad figuram pertinet, satis ad Ephelinum accedebant. Plerumque fastigiatis porticibus, vel saltem peristyliis ambiebantur; alia simplex peristylum, vel porticum, alia duplex peristylum habebant.

Quamquam templorum structura varia fuerit apud varias gentes, communes quædam regulæ æque ab omnibus in ea re servabantur. Scimus enim plurium Historicorum testimonio,

Ægyptiorum templo plerumque januas habuif-
se ad orientem , adeoque & templum , & San-
ctuarium ad occidentem . Porticus Vulcani
ab Asychi Rege Ægypti constructa orientem
respiciebat . a) Sicut & ad eamdem cœli pla-
gam patebat templum Memphis , b) opus
Psammetichi . Idem servatum & in cæteris
veterum templis Porphyrius cum aliis non-
nullis est author ; c) utpote quia singulorum
aditus ad orientem patebat : orantes vero in
templo spectabant occidentem . Nec templum
Deæ Syriæ ab aliis ea in re distinguebatur .

Sensim tamen morem illum obsoleuisse ex
Hygino Augusti liberto intelligimus ; d) ille
enim ad occidentem templi ingressum statuit ,
ut Numinis simulacrum in caput templi ere-
ctum ad orientalem plagam spectet ; sicut &
ad eandem plagam Numen in templo adora-
turi respiciant . Ex quo Vitruvius de Architect.
lib. 5. cap. 5. *Signum, quod erit in cella collo-
catum, spectet ad vespertinam cœli regionem,*
*ut, qui adierint ad aram immolantes, aut
sacrificia facientes, spectent ad partem cœli
orientis, & simulacrum, quod erit in æde - - -*
*ipsaque simulacula videantur ex oriente con-
zueri supplicantes.* Hanc structuræ habitudi-
nem

a) Herod. lib. 2. cap. 136. b) Diod. lib. 1. c) Porphyr. de
antro Nymphaeum. Item Dion. Thrax lib. 3. de Pharis , apud
Spencer. de legib. ritualib. 3. cap. 2. dissert. 6. sect. 4. d) De
agrorum limit. constituen. lib. 1. *Antiqui Architecti in occi-
dentiem templo spectare recte scriperunt, postea placuit omnibus
religionem enconversare, ex qua parte cœli terra illuminatur.*

nem in priscis Christianorum templis spectari constat; semper enim fores habent ad occidentem patentes, ut ara, & Sanctuarium in adversam partem respiciant. Hujus autem moris vetustas in altero paris antiquitatis more elucet; cum apud veteres Christianos obtinuisse, Deum adoraturos orientem spectare: ex quo vetus paganorum calumnia de cultu Soli a Christianis praestito.

Nihil ea traditione vetustius in Ecclesia occidentali, unde facilis conjectura trahitur, morem illum ex gentibus ad Christianos transiisse; cum prisci illi fideles ejuratis paganorum Sacris ad fidem accedentes, ritum hunc ex paganismo receptum ad meliorem usum retinere maluissent. Favet huic opinioni, quod contraria plane disciplina apud Judæos servetur, quorum mores facilius adoptassent Apostoli, nisi huic alteri assuevisse fideles animadvertisentes, noluissent in re minime mala consuetudini adversari.

Nihil plane simile in Ecclesiis orientalibus, apud quas Judæorum mores invaluerunt, sicut & veteres servatæ sunt regulæ templorum Ægypti, & Syriae. Aditum illæ statuebant templorum ad orientem, aras ad occidentem. Extat hujus moris vestigium in templo Tyri consecrato, late ab Eusebio Cæsariensi descripto lib. 10. cap. 4. extat & in aliis recentioris ævi in eadem regione templis; nulla enim

a constituta illa regula recedunt, quam ex altiori fonte repetiisse eorumdem templorum autores facile credimus. Amplo murorum claustro locus Sanctus ambiebatur; ad orientem patebat amplior & fastigiata porta, cuius longe lateque prospectus. Datus hinc aditus in atrium ingens, & quadratum, perpetuo quadruplici porticum, & columnarum ambitu ornatum. Medium ejus atrii e regione templi duo tenebant ditibus aquis fontes, quo puri fideles templum subirent. Tres amplae fores ad orientem, quarum mediæ ampliores, laterales duæ inferiores; singulæ repagulis æneis ferratis manicis obstrictis non sine sculpturis ornabantur. Ex majori porta aditus dabatur in navem Basilicæ; ex duabus aliis in latera. In capite ergebatur Episcopi thronus, aliquique pro sacerdotibus, qui semi-circulo una cum Episcopo circum altare in medio hujus spatii positum assidebant. Sanctuarium a reliqua Ecclesia separabant transennæ quædam sive cancellata lignea, sculpturis exquisitissime ornata. Hæc Ecclesiæ Tyri, & orientalium omnium structura.

Sed non ita constituendum est, ut certæ quædam regulæ in templis omnibus condendis servandæ statuerentur. Plerumque certe, non vero necessario iis se conformabant, tunc maxime, cum nullam haberent variandæ architecturæ occasionem. Namque testatur Vi-

tru-

truvius lib. 4. cap. 5. *Sin loci natura interpellarit, tunc convertendæ sunt earum ædium constitutiones, uti quam plurima pars mænium e templis Deorum circumspiciatur.* Si vero in ripa amnis templum excitandum fuisset, ædificium fluenti alveum sicut & vestibulum spectabant. Ita apud Ægyptios, ubi templa potissimum in ripa Nili ædificabantur, eo artificio sacræ illæ aedes constructæ erant, ut vestibulum haberent ad flumen; adeoque, quæ in ripa essent orientali, templa orientem anteriori fronte, occidentem posteriori spectabant; sicut & vicissim, quæ in adversa ripa ædificata essent, occidentem habebant in fronte, orientem a tergo. Si tandem viæ imminerent, vestibulum patebat in via, quo scilicet facilis daretur transeuntibus aditus, & Numina per transitum salutarentur. Hæc Vitruvius. Scholiares Pindari hanc regulam in universum constituit de ea, quam orantes servent, situs habitudine: Numina adoraturi (inquit) ad orientem convertuntur; qui vero Heroas, ad occidentem.

Quare pro Deorum varietate varia etiam servabatur templorum architectura. Sacræ Jovi ædes in longum magis, quam in latum prorogabantur; saepe etiam sub dio, ^{a)} &

E 3 el-

^{a)} Vitruv. lib. 2. cap. 2. *Jovi, Fuguri, & Cælo, & Soli, & Lunæ ædificia sub dio hypereaque constitueruntur, horum enim Deorum, & species, & effectus in aperto mundo, atque innocentii praesentes videmus.*

elatis muris sublimes; quo scilicet magis, magisque Numinis amplitudo, & super cæteros præstantia eluceret. Templa etiam Cœli, Solis, Lunæ, Fulguris, sine culmine plerumque patebant; quod scilicet luci hæc omnia pateant. Idem forte significatum voluerunt Israëlitæ, cum Solem, Lunam, & Astra super tecta adorarent. a) Ceres, Vesta, Sol, Bacchus, cæterique Dii, quorum Numen ad terram refertur, terræ rotunditatem in templis affectabant; quippe quæ sive rotunda eissent, sive 6. vel 7. vel 8. lateribus angulata. Janus quadrato ædificio gaudebat; Pluto, cæterique Dii inferni subterraneis fornicibus, sicut etiam aris in terra defossis. Numina urbis tutelaria in editissimo ejusdem loco erecto templo præsidebant; quemadmodum ex templis Trojæ, Minervæ Athenarum, & Capitolio Romano intelligimus. Dei etiam artibus, virtutibus, paci præsides in locis frequentissimis urbis erector templo colebantur. Mercurio, Isidi, Serapidi, templum stabant in foro. Voluptatum Numina, exempli gratia Venus; belli, uti Mars, & Bellona; ignis, & incendii, uti Vulcanus, extra urbem suas habebant constitutas sedes; Neptuni templum mari imminebat; Æsculapii in loco urbis vel ruris amœnissimo; b) Apollinis & Bacchi theatro continuabantur; Herculis

a) Sophon. i. 3. Eos, qui adorans super tecta militiam eoli.

b) Vitruv. lib. i. cap. 2.

culis a circo non remota ; Cereris in agro, quod scilicet hujus religio locum purissimum exigat. A)

Præscribit etiam Vitruvius lib. I. cap. 2. suam variis Numinibus architecturam : *Minervæ*, ait, *Marti*, *Herculi ædes Doricæ* fient ; *bis enim Diis propter virtutem sine deliciis ædificia constitui decet.* *Veneri*, *Floræ*, *Proserpinæ*, *fontium Nymphis*, *Corinthio genere constitutæ aptas videbuntur habere proprietates, quod deliciosæ sint magis & fastuosæ.* *Jonico delectabantur Juno*, Diana, & Liber ; quod is ordo medius sit inter austерitatem Doricam, & luxum Corinthium. Plerumque unica tantum porta instructa erant templa illa, ante quam erexitum stabat altare, & cum templo culmine tegerentur, altare sub dio manebant ; quemadmodum & in templo Domini Ierosolymæ animadvertisimus.

Apud scriptores Græcos sermo est de alio Templorum genere , atrio tantum seu claustro constantium , quod perpetuo peristylii ambitu ita cingebatur , ut undique subeuntibus aditus in templum pateret . Templum Junonis ejusdem structuræ occurrebat secus viam, euntibus Phalero Athenas. Vide Pausan. in Atticis. Idem & in Eliac. Alterum describit nullis septum parietibus , quod forum urbis Elææ occupaverat. Legimus etiam de templo

E 4

quo-

a) *Vide eundem lib. 2. cap. 7.*

quodam nostræ ætatis Athenis, non parietibus, sed tantum peristylio septum: Templum est JESU Christo crucifixo sacrum. a) Quibusdam apud Vitruvium templis duplex est aditus in utraque fronte, b) cuius structuræ nulla (inquit ille) sunt Romæ exempla; Athenis vero in templo Jovis Olympii occurrunt; occurrunt etiam nostra ætate in elegantissimo templo, quod vocant, invalidorum Parisiis.

Si quis modo structuram templorum Ægyptiacorum, Syriacorumque cum Jerosolymitano a Salomone constructo comparare voluerit, plura sane ejusdem faporis utrimque deprehendet. Paucis hic totam hujus templi œconomiam dabimus, qualem nobis Ezechiel, & libri Regum, & Paralipomenon servarunt. Variat Josephus; qui non Salomonicum, sed ab Herode reædificatum templum describit; quod sane alterius erat a Salomonico, & templo post captivitatem restituto, gustus, & structuræ magnificentioris; quamquam Salomonicum divitiis longe præstaret. Immanes illi muri totum ambientes montem, cui templum insedebat, ad eandem cum monte altitudinem pertingentes, ac ad agrestam terram continebam opus erant Salomone multo recentius. c) De atrio gentium nihil satis exploratum habemus ante captivitatem. d) Quæ apud

a) Vide Palæogr. Græc. lib. 2. cap. 4. b) Vitruv. lib. 3. cap. 5. ad fin. c) Joseph. de Bel. 1. 6. c. 14. in Græc. d) Ezech. 42, 20.

apud Rabbinos legimus de assignatis certos ad quosdam usus variis templi partibus, sicut & de singulari aularum structura, aliisque, & apud Ezechielem & apud Scripturam reliquam prorsus desiderantur: quare cum solum habeant authorem servatam apud eas gentes traditionem, possent eodem apud nos loco haberi, quo multa plane eorum ab eodem fonte derivata. Tandem quam exhibet Villalpandus ejusdem ædificii œconomiam, paulo exageratam judicamus. Vir enim ille in ea, qua tenebatur, persuasione, nihil Salomonico ædificio quoad magnificentiam & gustum reliqui fuisse, ideam subjicit ædis ad omnes veteris architecturæ regulas conformatæ, ut exquisitissimum sit opus, & totius architecturæ prodigium. Videsis censuram Ludovici Capellii senioris in templum Villalpandi in Præf. Versionis suæ operis Maimonidis de templo. Fabric. Bibliograph. Antiq. cap. 9. pag. 285.

Complanatus in aream 500. cubitorum in quadro Moriæ clivus, aptum excipiendo templo spatium exhibuit. Non ita tamen ad libellam locus æquatus, quin aliquanto molliter ascendens, aditum in atrium per gradus exigeret. Patebant ad quatuor latera, orientem, occidentem, septentrionem, & meridiem januæ. Atrium sacerdotum suas habebat ad Orientem, Septentrionem, & Meridiem portas, e regione aditus in atrium populi,

rectaque omnes deducebant ad vestibulum loci
Sancti, fere altari holocaustorum obversæ.

AEdificii hujus pars, quæ templi nomine
potissimum designatur, tanquam sedes Dei
peculiaris habita, supernam ferme ædificii par-
tem, & sacerdotum atrio occidentalem, tene-
bat. Patens ab oriente vestibulum, ut ado-
raturi ad occidentem spectare cogerentur.
Tres distribuebatur in partes; Sanctuarium,
Sanctum, & Vestibulum. Sanctuarium 20. cu-
bitos dimetiebatur in quadrum; Sanctum 20.
in latum, 40. in longum, & 20. in altum;
Vestibulum oblongum habebat 10. cubitos in
latum, bis totidem tam in longum, quam in
altum. Totius hujus ædificij mensura 70. cu-
bitorum in longum; latitudo in corpore ædis
20. cubitorum, & altitudo 30. Lateralibus pa-
rietibus adhærebant conclavia, 5. cubitorum
altitudinis, triplici solariorum ordine disposita.
Trabes solaria illa fulcientes hinc lateralibus
templi parietibus, inde parieti extimo concla-
vium incumbebant. Primus ordo 5. cubitos
quaquaversum dimetiebatur; secundus uno
cubito latior, quod tantundem spatii parietes
templi sensim recedentes permitterent; qua
pariter ratione septem latitudinis cubiti tertio
ordini relicti.

Porro conclavia circum templum ad me-
ridiem, occidentem, septentrionem regna-
bant. Quare totum hoc ædificium, una simul
cum

cum aliis adhærentibus, aream tenebat 70. pedum ab oriente in occidentem; in latitudinem vero, una simul computata murorum crassitudine, 40. cubitorum circiter. Altitudo in media æde 30. cubitorum; 15. vero in lateralibus ordinibus. Reliqua ædificii altitudo, media scilicet, quæ supra laterum altitudinem erigebatur, fenestris luci demittendæ in Sanctum, & Sanctuarium dabat. Scalæ, in scrobis modum fabricatæ ad extremas solario-rum oras, aditum dabant e vestibulo in con-clavia. Porro laterales illæ fabricæ alatis Græcorum templis non inepte compararentur; quamquam Græcorum illæ porticibus fastigiatis, & columnis instructis ipsam æquantibus templi altitudinem, triplici aliquando, modo duplaci, vel etiam simplici columnarum geminatione constabant; hæ vero Salomonis, licet triplæ essent in altitudine, simplices tamen erant in latitudine. Ex his templo, nudis alioqui lateribus minus augusto, majestas ciliabatur.

Sanctum, locus erat clausus, & a reliquo templo distinctus, quem sacerdos destinatus bis in singulos dies mane, & vespere adiretum offerendo thymiamati, tum incendendis extinguendisque lampadibus, tenebat. Sanctuarii aditus cæteris præclusus sacerdotibus, uni tantum Pontifici die expiationis solemnis semel in anno patebat. Atrium ex anteriori parte

parte reclusum duas habebat ante se positas ingentes, & magnificentissimas æneas columnas, quarum habetur descriptio in Scriptura.

Templum ambiebant duo vasta atria, quorum intimum, & angustius, in exteriori ambitu habens 200. cubitos in quadro, sacerdotibus destinatum erat. Cæterum eo uno excepto, quod peristylium in latere occidentali nullum, sed murum tantum a) haberet, cætera, quod ad ornamenta, & structuram pertinet, nihil cedebat extimo, & ampliori atrio, populo reservato. Erant autem hæc atria lapidibus elegantissime strata, magnificis porticibus, quas columnæ non infimi pretii fulcabant, ornata. Cellulæ pro sacerdotibus, servandisque rebus in usum templi, uti vino, oleo, frumento, & vestibus, alia occupabant ædificia circum atria disposita. Tandem si quid erat vel ad ornamentum, vel ad usum, vel ad splendorem, & magnificentiam domus Dei, hujus sane nihil in eo ædificio desiderabatur. Vester ipsæ, cellæ, cibi ministrorum, pro Numinis majestate sufficiebantur.

Neque ii sumus, qui singula hæc impræsentiarum prosequi statuerimus, fatis habentes demonstrasse, quantum fuerit affinitatis inter templo gentium Judæis finitimarum, & templum Domini. Nihil ferme inter utraque hæc discriminis, nisi quod multum religione Nu-

mi-

a) *Vide Joseph. de Bel. lib. 6. cap. 14.*

minis simul, & structuræ magnificentia Salomonicum illud præstaret. Cæterum utrinque recurrit sanctuarium inaccessibile, inviolabile, in ipsis ædificii penetralibus abditum, atriis uno vel pluribus non sine ambitu columnarum cinctum, & ædes in usum ficerdotum.

DISSESTITO

*Quid Naaman concedi sibi postulat ab Eliseo,
ut coram idolo Remmon sese proster-
nere liceat?*

Naaman copiarum Regis Syriæ Imperator, post receptam a morbo lepræ prodigiosam valetudinem, loto ex præscripto Elisei aquis Jordanis corpore, Prophetam ipsum conveniens ditissima obtulit munera, simulque rogavit concedi sibi, ut duos onustos mulos terra ejus regionis referret: *Non enim, ait 4. Reg. 5. 17. faciet ultra ser-
vus tuus holocaustum, aut victimam Diis alienis, nisi Domino. Hoc autem solum est, de quo depreceris Dominum pro servo tuo, quan-
do ingreditur Dominus meus templum Rem-
mon, Et illo innitente super manum meam, si
adoravero in templo Remmon, adorante eo in
eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo
tuo pro hac re. Qui dixit ei: Vade in pace.*

Sub

Sub ipso hujus historiæ limine pusilli lectors offenduntur. Qui fidei ardor, & studium in profelyto ! simul se veri Numinis cultui addictum profitetur, unaque rogat, ut externo Deo cultum impendere permittatur. Quam indigna autem Propheta assentatio, ut scilicet rogatus de permissione idololatriæ a Naamano, veniam facilis, & pacem conceferit ? Si crimen scandali vel homicidio detestabilius habetur, quid de facto Naamani censendum est, unde scandalum inductum ? quid de indulgentia Elisei, quæ scandalum auctoritate sua probavit ? Si filius Dei Matth. 10. 33. Luc. 9. 26. profitetur deditiaturum se hominem, qui nominis Dei confessionem probro duxerit coram hominibus, quid de profelyto & Propheta fiet ? At enim Naaman sola externa cultus significatione intimos animi sensus occulit. Sed hæc indigna viro fideli similitudo, quæ sane nunquam detestabilior reputanda est, quam in causa religionis. Si idololatria crimina superat omnia ; si hypocrisis vitium est Dei oculis detestabile, quidnam de Naamano, & Eliseo reputandum ? Etenim vel criminosa hanc sibi erga idolum veneracionem Naaman arbitratus est, vel opus licitum, seu indifferens judicavit. Si licitum, & indifferens ; cur ab Eliseo peteret, ut a Deo sibi impetraret ejus rei veniam ? Si iniquum, & idololatrum duxit ; cur rogat, nec renuente.

Eli-

Eliseo , permitti sibi ejus rei facultatem ? Apo-
stolus jubet , fideles non tantum abstinere ab
omni malo , sed etiam *ab omni specie mali*.
Thessal. 5. 22. *Ab omni specie mali abstinetе vos* ; quod sane præceptum æque Judæos spe-
ctat ac Christianos. Naaman , & Eliseus nil
præceptum illud curant ; alter adorat , vel
salmem adorationis specimen præbet ; alter
probat , vel saltem dissimulat , nec prohibet.
Num licet duobus Dominis servire , Dei cul-
tu cum Belial admixto ? Debuit plane Naaman
omnia tolerare , præfectura exauctorari po-
tius , quam externa significatione coram idolo
prostratum apparere , etiamsi ea cultus simu-
latione nihil religioni suæ metuere posset ; vel
ea sola ratione , ut uni tantum pusillorum scan-
dalo consuleret. Quam sane gloriosum viro ,
si Principi cultum impium jubenti in faciem
ita restitisset , ut vitam ipsam pro tam bona
causa non recusasset impendere ? Id , inquam ,
magis gloriosum viro , quam ut indigna ac il-
liberali indulgentia Regi assentaretur. Hæc
commentantur nonnulli de Naamani , & Eli-
sei consilio.

Plerique tamen non inter veteres tantum ,
sed & recentiores , omnem impendunt ope-
ram , quo ab idololatriæ , & simulationis suspi-
cione utrumque virum purgent. Varii tamen
varias ineunt rationes , quamquam omnium
idem est scopus , ut vel utrumque , vel Eli-
seum

feum saltem absolvant. Qui Prophetam defendunt, Naamanum tanquam in vera religione neophytum deferendum ducunt; rati illud criminis indulgendum viro, qui recens ab idolatria desciscens, conceptas in illa ideas de simulanda religione, ut olim in exordio mundi, non penitus exuerat. Negant illi acquiesisse Prophetam precibus Naamani, nec quidquam ab illo indultum contendunt veræ religionis dispendio: sed (*inquiunt*) roganti viro respondit tantum: *Vade in pace*; ac si diceret: vade, nec ultra cogites de Remmon, ejusque cultu, sed curas omnes verte in Deum pacis, quem rogo, ut nunquam committat, ut te in idololatriæ scelus prolabi sinat.

Fateamur quidem oportet, datum ab Eliseo responsum nihil satis expressum præseferre de permissione Numinis adorandi; sed nihilo minus alium verbis sensum indere vix possumus, nisi apertissima vi textui illata. Nec aliquin Eliseus immunis omnino esset a crimine si proselytum, quamvis non confirmaverit, in errore tamen reliquerit. Præpostera sane dissimulatione usus fuisset, indigna prorsus viro alieni profectus studioso, & Propheta. Nonne neophyti dissimulationem imitatus fuisset, ejusdemque cum illo criminis particeps videatur, si obscuris quibusdam ambagibus dicta involvens, tenebras viro incauto offusisset? neque enim Naaman Prophetæ verba aliter

accepisse creditur, quam quomodo huc usque fere omnes ex historiæ lectione accipimus.

Conveniunt Rabbini, omnem externi cultus significationem a) idolis impensa Judæis prohiberi; cum vero Naaman Judæus non esset genere, sed tantum profelytus domicilii, ideo (inquiunt) illi neque palam, neque privatim interdici poterat, quin externam idolo cultus significationem impenderet, utpote qui extra Israëliticam ditionem, & Israëlitarum cœtum versaretur. Quare juxta illorum Doctorum sententiam, potuit Eliseus externum cultum idoli profelyto suo permettere. Vix & ne vix quidem posset solidis rationibus e Scriptura petitis Rabbinorum dogma firmari, cum idololatria æque ac hypocrisis aperte ubique damnentur, & adversum habeant contra se jus naturale, ipsumque adeo rationis lumen. Debitum Creatori cultum in creaturam transferre, quacumque tandem ratione id fiat, nunquam tamen a crimine, & iniustitia vacuum est, & immune: quin & multo res est destabilior, quando post agnitam Numinis veritatem, & palam assertam, post interdicta sibi publica professione sacrificia idolis impensa, post admissam veram religionem, invita licet, & reluctante conscientia, externus idolis cultus adoptatur.

Calmet Differt. T. IV^o

F

Vir

a) Maimon. *Vide Grot. hic, & Seld. de jure Natur. & Gent. lib. 2. cap. 10.*

Vir criticæ peritiissimus æque, ac illustris
 A) autumat, his Naamani verbis non veniam
 deprecari illum pro cultu Numini imposterum
 impendendo, sed pro eo, qui antehac ex-
 hibitus fuisset. Hunc sensum non male refer-
 re videntur verba textus Hebraici, ita plane
 ad literam reddenda : *Ut ignoscat mibi Do-
 minus pro hac re, quando ingrediebatur Do-
 minus meus templum Remmon, ut adoret, &
 illo innitente super manum meam, & si ado-
 ravi in templo Remmon.* b) Consonum etiam
 magis videtur, si venia rogetur a Domino pro
 crimine commisso, quam pro committendo ;
 pœnitudo enim præterita respicit : ac si venia
 pro crimine, quod jam committendum decre-
 vimus, deprecemur, nonne ipsi nobis viam ad
 veniam præcludimus ? Hæ vero Naamani pre-
 ces multo etiam magis proposteræ apparent,
 quod post missum idololatriæ nuncium, atque
 unicæ religionis professione jurata, adhuc ta-
 men veniam postulat pro idololatria iterum re-
 cipienda.

Vulgaris tamen ratio utrumque virum a
 crimen absolvendi hæc initur. c) Inter omnes
 con-

a) Bochart. Epig. seu dissert. in hunc locum, Tom. 1. operum
 ejus, Edit. Lugd. Batav. ann. 1602. pag. 892. לְרָבֶר הָוָה (ב)
 יַסְלֵחַ הָוָה יְלַעֲכַר בְּבוֹא אַרְנִי כִּתְרָמִיו לְהַשְׁתַּחַווֹת
 שְׁמָה וְהָוָא נְשָׁעָו עַל יְרִי וְהַשְׁתַּחַווֹ יְזִי בֵּית רָמָז
 כְּחַשְׁתַּחַווֹ יְתִי רָמִיו יְסָלַת נָא יְהִי לְעַכְרַר תְּרַחַר הָוָה
 Ita & Chald. c) Vide Lyran. Sanct. Menoch. Vatabl. Serap. Cajet.
 Natal. Alex. lib. 2. hist. V. T. dissert. 7.

convenit, deberi viris principibus, ac in dignitate constitutis reverentiam, & obsequium a subditis; deberi autem non in locis tantum prophanis, sed etiam in sacris, quantum tamen officium, & religio patitur. Quare Naaman potuit euntem Regem ad templum comitari, potuit innitentem brachio sustentare, potuit una cum illo procedere, stare, prosternere se; quippe qui non in cultum idoli hæc exequeretur, sed in obsequium Principis, nec ut religioni suæ, sed ut muneri faceret satis.

Ita occasione parum dissimili Tertullianus de Idolol. c. 16. 17. permisit Christianis, euntes ad templa paganos heros prosequi: *Licebit adesse in quibusdam, quæ nos homini, non idolo officiosos habet.* Si quis autem (addit ille) ad sacerdotium me, aut ad sacrificium invitaret, huic ego morem nunquam geram; quod hæc in idolum prætentur officia: sed si jure alio sacrificulo obstrictus teneat, inter spectatores sacrificio adsistam. Quid enim alioqui fieret de servis, libertis, atque domesticis fidelibus, cum heros, sive patronos habent sacrificia præstantes? Fas est igitur viro Christiano eadem præstare in Principes & Magistratus officia, quæ olim Patriarchæ, & Prophetæ nonnulli totò vitæ tempore serviis paganorum addicti exhibuerunt. Ita Daniel in aula Babylonis, Joseph in Ægyptiaca vitam traduxerunt.

Profecto si adoratio intimo cordis obsequio summum Dei dominium agnoscens exhibetur; quisnam post solemnem factam a Naamano protestationem omnem, se respuere idolorum cultum profitente, de fide illius dubitaverit unquam? Prosternebatur quidem coram idolo, significationem quamdam cultus praeseferebat, quæ tamen nullum haberet adjunctum erga Numen devoti cordis obsequium, in quo uno ratio adorationis consistit. Externus corporis habitus nihil est, quippe qui solum adjuncto proni cordis affectu vituperationem meretur, vel præmium. Eliseus autem non is erat vir, qui permettere, sive tolerare, vel dissimulare saltem cultum impium, atque veri Dei cultui repugnantem posset. Quin & Theodoreetus Q. 19. in. 4. Reg. autumavit, eadem externa corporis veneratione, qua cultum impendere in idolum videbatur Naamanus, intimo tamen animi sensu vero Deo prosternere se intendisse. Quæ tamen viri docti sententia in absurdas plane consecutiones pertrahi potuisset, quasi scilicet fas esset thura idolis offerre, externi cultus significationem exhibere, modo intimus mentis oculus fixus in Deum intendatur. Age hæc absurda a Patre piissimo æque ac doctissimo.

Quam hucusque exposuimus, sententiam
cave credas suis carere difficultatibus. I. Si
Naaman post solemnem cultus veri Numinis
pro-

professionem, una cum Rege idololatra coram Remmon prostratus appareret, maximo sane scandalo totius rei non ignaros affecisset. 2. Cur res illa a crimine absolvatur, quam ipse Naaman damnandam censens, veniam de illa deprecatur ? 3. Si sacrificio tanquam minister assistere nemo potest sine crimine ; si, ut ait Tertullianus ubi supra, *Ad sacerdotium, & sacrificium vocatus non ibo ; proprium enim idoli officium est : sed neque consilio, neque sumptu, aliave opera in ejusmodi fungar,* quid sane plus de idololatria participat, quam inclinatio, & adoratio coram idolo ? Nec tam Naaman ea cavet : inclinantem se Regem & sustinet brachio, & simul ipse inclinatur, ac tandem externa corporis habitudine nihil ille, quod a Rege factum sit, omittit. *Si merum quis sacrificanti tradiderit, si verbo aliquo sacrificio necessario adjuverit, minister habebitur idololatriæ.* Tertullianus loco citato. Et post hæc Naaman absolvendus ?

Frustra vero quis reponeret, virum illum satis mentem suam in cultum Dei propensam exposuisse, cui proinde de externa cultus idoli significatione, nulla potuisset invidia creari. Cum enim viri professio omnibus fuisset explorata, si post hæc coram numine prostratus, ut obsequium Regi suo præstaret, videretur, statim agi omnes intelligebant non de cultu religioso, sed de officio in Regem exequendo.

Sed ideo potissimum debuit Naamanus prohiberi, ne quid populum de ejus religione persuasum offenderet, neve diversam inderet intentibus ideam, quam quæ antea de illo concepta erat. An Judæus religionis suæ studiosus præsticisset unquam, quæ ipse præstitit? An vero quæ Judæo crearent invidiam, eadem Naamanum absolvunt? Profecto si Daniel in aula Nabuchodonosoris, si pius senex Eleazar coram præfectis Regis Antiochi, si S. Paulus ante paganorum tribunalia Naamani exemplum imitari maluissent, res illorum fuissent salvæ, ac Daniel a) ad concentum instrumentorum musicorum se statim coram idolo prostrasset, non quidem ut cultum Numini impenderet, sed ut Regi civili obsequio morigerum se præberet; sicut etiam Eleazar puram carnem degustare sustinuisse, b) falso paganis persuadens, se ex idolotytis participasse; ac tandem S. Paulus nulla habita ratione idoli, quippe quod nihil esset, neque scandali pusillorum, carnes indiscriminatim adhibuisse in cibum, quamvis sciens prudensque immolatas fuisse idolis nosset. c) Ufus enim ille ea occasione fuisset libertate omnibus permissa, quippe qui aversum habebat ab idololatria mentem, ejusque rei nulla creari poterat in Apostolum, cuius sententiam omnes exploratam habebant, invidia.

Tan-

a) Daniel. 3. 12. b) Macch. 6. 21. &c. c) 1. Cor. 8. 13. *Si ergo scandalizas fratrem meum, non manducabo carnem in eternum.*

Tandem si nos immunem a crimine Naamanum, & Eliseum asseramus, cum alter coram Numine prosternebatur, alter eam cultus significationem permisit; cur eos damnaverimus, qui proximæ peccandi occasiōnē se exponunt, qui dicto, vel facto aliquo in scandali discrimen pusillos adducunt, qui loca frequentant, vel socios famæ deploratæ, qui tandem, cum de religione agitur, fidem suam simulatione aliqua occultant. Habeant viri illi optimam cordis habitudinem, nihil se mali vel cogitare, vel optare sancte profiteantur; nihil tamen apud prudentes, piosque Christianos proficient. Si officium geris, quod sine crimine non præstatur, vel saltem sine externa criminis significatione, ut scandalum ingerat pusillis, retrahete statim, neve committas unquam, ut laqueum & offendiculum fratribus compares. Hæc Christianis æque ac Judæis injuncta sunt.

Ut absurdas hasce consecutiones evitemus, mihi sane probaretur ratio illa legendi textum originalem, qua de crimine jam commisso veniam deprecatus Naamanus exprimitur: vel saltem rogasse Naaman potuit, ut pravam hanc, cui assueverat, adorandi nempe in templo Remmon una cum Rege habitudinem, exuere tandem sibi precibus Elisei daretur. Textus enim originalis non legit, Regem prosternere se, ac proinde Naamanum, cui innitebatur, secum ad prosternendum cogere,

sed tantummodo habet : *Quando ingreditur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, ego adoravi in templo Remmon. Cum igitur ego adoravi in eodem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro hac re.* Ratio legendi, quam Septuaginta, & author Vulgatæ prætulerunt, pronior est, me etiam fatente : A) *Si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco.*

Quæ posterior lectio si retineatur, maluerim ego Naaman criminis, atque Eliseum indebitæ reum indulgentiæ damnare. Hæc opinio non ita singularis est, ut doctos, peritosque scriptores nonnullos non habeat assertores. B) Vel potius Naaman veniam commissi criminis deprecatur, cum scilicet una cum Rege suo supplex coram Remmon sese prostraverat. Hæc posterior interpretatio planior mihi, & genuina creditur, magisque Hebræo, & Chaldæo consona. Syriacus, & Arabicus interrogationem interponunt : *Ignoscet mihi Dominus servo tuo, si quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, illo innitente supra manum meam, si adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco? cum (inquam) ego adoravero in eodem loco?*

igno-

A) S. Hieron. legit בְּתַשְׁתָּחָתִים (pro) Septuag. 70. Εν τῷ προσκυνεῖν ἀυτὸν ἐν δικῷ Ρεμμόν. B) Vide Pet. Martyr, hic, & Hugon. & Greg. de Valentia apud Corn. a Lap. hic.

ignoscet mihi Dominus servo tuo pro hac re?
Qui dixit ei : vade in pace. Servatur hic eadem lectio, ac in Hebræo, & Chaldæo in illa voce : *si adoravero* ; dein vero ad alium sensum divertitur duriorem plane ac in vulgata, & Septuaginta. Interrogat enim juxta eam lectionem Naaman , num impetraturus sit a Domino veniam , si una cum Rege coram idolo se prostraverit ?

Nostræ hujus dissertationis articulum quemdam reprehendere vifum est nonnullis. a) Arduum enim , & indignum putarunt adoptari a nobis *singularem Bocharti sententiam*, de postulata scilicet a Naamano commissi jam criminis venia , cum potius rogasse virum illum dicant Prophetam , ut sibi adesse daretur facultas una cum Rege Syriæ in templo Remmon , & coram idolo una cum Principe , ejus brachio innitente, prosterni. Hanc autem nostram sententiam contendunt nullo arguento evinci posse. Numquid enim (addunt) Naaman nullum aliud idololatriæ specimen exhibuerat , quam ut in templo Remmon una tantum cum Rege se prosterneret ? Et si plura commiserat idololatriæ crimina , cur de uno tantummodo hoc veniam postulat ? Nullum ejus rei argumentum satis convincens adducetur. Adde , *textus omnes*, & *versiones præsentem*, *vel futurum*, *nunquam præteritum ferre*.

F 5

Te

a) *Memoir de Trevoux. Martii 1713.*

Tenenda est igitur omnium Catholicorum interpretationum sententia. Hæc in nostram sententiam objiciunt, quibus aliquid reponendum est.

Hanc sententiam, quam Bocharti singularem dicunt, scriptores longe plures eruditio-ne linguae Sanctæ & phrasis Scripturæ scientia insigne defendunt. Videsis Joannem Andre-am Quen-Stedium in dissertatione singulari de hoc argumento. A) Laudat ille in eandem sententiam Saubertum, Valterium, Glassium, Dor-schæum, Danhaverum, Calovium, Dilherum, aliosque nonnullos; quibus addi possunt Van-tilius, & Cene in suo *specimine versionis*; ne-quid dicamus de Bocharto, cuius nos senten-tiam fecuti sumus in nostra dissertatione.

Porro scriptores isti omnes indignum rati, si postulatam a Naamano (quantum verbis pri-mo intuitu præferebantur) facultatem approba-rent; nec minus perniciofas consecutiones ti-mentes, quæ statim deducerentur, si postu-lata omnia ab Eliseo permitta dicantur, pro-sternendi se scilicet coram idolo; adoptandam nostram hanc interpretationem censuerunt. Af-firmare etiam nos jurato possumus, viros plu-res mentis acumine præstantissimos offendisse,

qui-

A) In 4. Reg. 5. 18. in thesaur. dissert. Theol. Philol. Saubert. Vivarientes Paraphraſtæ in Bibliot. Norimberg. Valter. Centur. Miscell. Theolog. art. 6. Glassius ab Hakspan. de hoc loco consul-tus. Dorschæus Theolog. Zacch. part. 6. Danhaver. Consciential. tom. 2. pag. 2. Calov. Annot. Antigrot. in 4. Reg. 5. 18. Dilher. Disput. Academic. tom. 1. disput. 6. & 22. Vantil. Medulla pag. 436. Cene project. de Traduction. pag. 471.

quibus cum vulgaris interpretatio Catholico-
rum minus probaretur, de sententia hujus loci
mire angebantur.

Inconsulto profecto addunt criminatores
nostri, rejectam in dissertatione sententiam Ca-
tholicis omnibus interpretibus probari. Gre-
gorius de Valentia Jesuita non obscuri nomi-
nis, a) hanc Naamani petitionem, si forte
adeundi idoli facultatem postulavit, criminis,
quod etiam a nobis factum est, condemnat.
Condemnat etiam Hugo de S. Caro Cardinalis
in 4. Reg. 5. 18. cui etiam Elisei indulgentia
criminis arguitur. Hac autem indulgentia
ufsum Prophetam autumat in favorem Judaicæ
religionis, ita tamen ut viri fidem obligaverit,
ut omnem tandem infidelis Principis famula-
tum abjiceret, cum opportunum tempus of-
fendisset; nec interim alia ratione dissimulan-
dum cum illo censuisse credit Prophetam, quam
quod e re Judæorum futurum videretur, si in
aula Regis Damasci vir aliquis veræ Judaicæ
religionis res promoveret. Æquos judices
apello, an hæc satis habenda sint, ad permit-
tendam Naamano in aula Regis idololatriæ
moram, tum & ad asserendam illi facultatem, ex-
ternam cultus significationem idolo impendendi.
Post damnatos Ecclesiæ sententia Sinenses ri-
tus, quis talia defendat?

Ad-

a) Tract. de fide, & fidei professione Disp. 1. quæst. 3, pag. 2,
ad 3. apud Cornelium a Lapide in 4. Reg. 5. 18.

Addunt, nullo satis idoneo argumento convinci posse, nullam aliam idololatriæ significationem exhibuisse Naamanum, quam quod coram idolo una cum Rege prosterneretur, quæ nostræ sententiæ consecutio est apertissima. Possem ego totam hanc consecutionem negare. Numquid enim non potest quis grandioris alicujus criminis veniam petere, in quo cætera minora veluti contineantur, nulla facta de minoribus illis mentione? Fac virum aliquem, spectatæ alioquin vitæ, sed idololatriæ criminis reum, veniam postulet de impenso publico aliquo, & singulari scandalo idolis cultu; nonne & de minoribus quoque idololatriæ facinoribus idem præstisset una simul censendus est? Quid in ea re non confutum, quid absconum rationi? an intolerabilia afferimus?

At enim textus & versiones præsens & futurum, nunquam præteritum habent. Qui sane hæc afferunt, nunquam Chaldæum, nunquam originalem textum consuluerunt. Ita præteritum legit Hebræus. a) *Quando ingreditur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente super manum meam, ego adoravi in templo Remmon. Cum igitur ego*

הוּא יְסַלֵּחַ יְהוָה לְעִכָּר בְּכֹא אֲרַנִּי בֵּית רָמוֹן (א)
לְהַשְׁתַּחוּת שְׂמָח וְזֹוא נְשָׁעָן עַל יְרִי וְהַשְׁתַּחוּת
בֵּית רָמוֹן בְּחַשְׁתַּחוּת יְהִי בֵּית רָמוֹן יְסַלֵּחַ נָא יְהִי
לְעִכָּר בְּרִבְרִי הַוָּה

ego adoravi in eodem loco, ut ignoscat mibi Dominus servo tuo pro hac re. Eliseus dixit ei: Vade in pace. Si hanc textus autoritatem sequamur, de crimine ante ejuratam idolatriam commisso veniam postulasse Naamanum afferemus. Nec sane aliter verba illa interpretari primum est, cum una eademque in textu vox cultum Naamani & Regis æque designet. Scitum est autem, Regem illum non externam tantum cultus significationem idolo impendisse; tantundem ergo & Naaman defatetur.

Si quis vero contendat utrumque virum cultum suum ex animi sententia impendisse, Regem idolo, Naamanum vero (in fano licet, & coram idolo prostratum) Deo Judæorum, ut unius ejusdemque externa specie actionis alter alterius esset finis; illi sane cavendum, ne religionem ipsam in discrimen adducat. Ejus certe doctrinam Christianorum probarit nemo, quibus id religione sanctum, ut omnem in fide, & præcipuo cultu simulationem tanquam prævaricationem quamdam abjiciant: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua.* Luc. 20. 26. Restat igitur, ut dicant, Naamanum ad templum una cum Rege se conferentem, obsequium Principi debitum, non cultum Numini impendisse. Imbecillitatem meam fateor; hanc ego sententiam, cuius

þus pernicioſas timeo consecutiones , ferre non
poſſum ; nec in animum unquam inducam ,
virum ejus probitatis , ſcientiæ , & in religio-
nem ſuam ſtudii , qualem Elifeum credimus ,
id commiſiſſe , ut rem illam ſuffragio ſuo con-
firmaret.

DISSERTATIO

De retrogradatione Solis in horologio Achaz,



Elebre illud sub Ezechia prodigium ,
cui diſſertatio hæc noſtra debetur , non
ſimplex prodigium tantummodo cen-
ſendum eſt , cuius veritas contra impios , &
absurdos obtrectatores aſſerenda ſit , ſed plu-
ribus miraculis conſtantis prodigium , de qui-
bus ſingulis pia fidelium ſtudia explere , ſi-
quidem fieri poſſit , eorumque inſtruere fidem ,
& religionem , ſicut etiam philoſophantes qua-
dam mentes paſcere opus eſt . Nos igitur im-
præſentiarum ſenſum textus in exaſtem revo-
cabimus , varias exponemus ſententias , ac
tandem totum prodigium evolvemus ; inqui-
rentes inſuper , an per univerſum late orbem
ſpectabile ſe illud exhibuerit , vel ſolum in Pa-
læſtina ; an Sol retrogrado curſu iter con-
verterit , vel tantum horologii umbra receſ-
ſerit ; an ea contigerit retrogradatio ſenſim ,
vel in instanti ; ac tandem ad horologiorum ori-
ginem divertemus .

Cum

Cum Rex Ezechias gravissimo laboraret morbo, Isaias jussu Domini ad ægrotum veniens, incolumitatem infra triduum annunciavit, & eam incolumitatem, ut statim posset ad templum ascendere. Certo quodam signo dictorum fidem adstrui sibi Ezechias poscit. Cui Isaias proposuit, malletne Solis umbram 10. lineis procedere, vel tantumdem spatii recedere: Tum Rex, nullo (inquit) negotio fieri potest, ut umbra decem lineis acceleretur. Alterum igitur præfero. Nec mora: statim enim verso in preces Propheta, umbra decursas jam decem lineas in horologio Achaz, iterum verso curfu repetit. Hæc historia legitur in 4. Reg. 20. 11. In 2. Paral. 32. 24. prodigium illud tantum indicatur, exactiori singularum rerum descriptione prætermissa. Isaias 38. 7. 8. singula juxta fidem libri Regum prosequitur; quamquam non solam umbram recessisse memorat, quemadmodum in libro Regum, sed & Solem: *Et reversus est Sol decem lineis gradus, quos descenderat.* In textu Latino Isaiae exprimitur horologium Achaz, de quo etiam in libro Regum. Sed textus originalis habet tantummodo gradus Achaz. A) S. Hieronymus fatetur Symmachi se fidem sequutum vertisse horologium, & lineas, quod textus habet gradus, & scalas. Jonathan reddit **אַבְנָשׁ מִלְעָד** *lapidem horarium.*

Va-

A) **מִלְעָד אַחֲן** 70. Basmoi. gradus.

Variant interpretes in explicanda structura horologii Achaz. S. Hieronymus in Isai. 38. hæc habet : *Sive ita extructi erant gradus arte mechanica, ut per singulos umbra descendens horarum spatia terminaret.* Paria sensit etiam S. Cyrillus Alexandrinus in Isai. l. 3. tr. 4. pag. 469. Sequuntur hoc authores plerique recentiores interpretes , A) inter quos non defunt , qui autumaverint , potuisse Ezechiam e suo conclavi , ac lecto facile spectare horologium , ut totius prodigii testis esset oculatus.

Aliis vero creditur , verum horologium solare instar primigeniorum illorum , quæ olim obtinuerint in Græcia , & in Italia , ita a veteribus descripta , quasi columnæ essent in medio areæ erecta , quam scilicet aream variis lineis distinquebant . Percurrens igitur umbra columnæ varias illas lineas , horas diei notabat . Cum autem vetustissima dividendi horas ratio totam diem in 12. horas dispesceret , pro diebus variis , & anni temporibus variasse etiam horas oportebat ; quare horologii illius lineæ quam plures notari debuerant ; quippe quæ non horis tantummodo responderent , sed inæquabilibus etiam horis pro singulis anni temporibus servirent . Hinc certum linearum in horologio Achaz numerum definire vix possumus , nec certum notare spatiū retro-

trogradationis. Sunt, qui 12. lineas notant; sunt qui 24. alii malunt 28. ^{a)} alii etiam numerum augent.

Totam hujus horologii rationem ex R. Elia Chomer ita Grotius describit. Concavus erat, atque hæmisphæricus globus, alterum in medio complectens globum, cuius umbra in variis lineas in hæmisphærio notatas incidebat, quæ fane lineæ (inquit) 28. erant numero. Hoc horologium Græci *Schapen*, nempe navim, vel *heimisphæron* appellant, cuius inventi honorem Berofo Chaldæo tribuit Vitruvius l. 9. c. 9. Nos infra ostendemus multo facilius credi, horologium Achaz ad Chaldæorum imitationem expressum fuisse. Similis ferme horologii inventionem, cuius postea formam describemus, Moysi tribuisse Appio videtur. Lineæ in sphærica concavitate signatae multum ad gradus referri videbantur. Sed quæcunque fuerit hujus horologii structura, convenit inter omnes, opus illud horis distinguendis servivisse; sicut & idcirco umbræ retrogradæ hujus machinæ fidem dictorum suorum Isaiam adstruxisse.

Sed negotium facit hujus retrogradationis ratio. Duplex est potissimum inter Catholicos interpretes sententia; alii Solem ipsum cursum vertisse tenent; recessisse tantummo-

Calmet Dissert. T. IV.

G do

^{a)} *Vide, si placet, Grot. in hunc locum, & Præadam. part. I. cap. 4.*

do umbram alii malunt. Ambo hæc in examen revocanda. Patres, sicut & interpretum plerique, a) literam Scripturæ tantum sequuti, nihil inde objectas difficultates, sive alicujus momenti, sive in speciem tantum morantur. Ita enim philosophantur : Res æque, ac prodigium constat ; utquid physica ratione explicandum laboremus, quod supra naturam est? Idem ejusdem rei author, ipse etiam se illam fecisse prodidit; quem sane sapientissimum novimus, ut incommoda omnia, quæ objiciuntur, præcavere potuerit : sicut etiam virtute pollet plurima, qua hæc omnia supereret.

Pseudo-Dionysio Areopagitæ Ep. 7. ad Polycarp. visum est, eam diem productorem cæteris fuisse, in quam etiam sententiam S. Gregorius Nazianzenus Orat. 19. in laudem Patr. & Elias Cretens. inclinavit : utrique proinde ea fedit opinio, ut Sol retrogrado cursu iter converterit. S. Hieronymus in Isai. c. 38. ad orientale horizontis punctum remeasse Sollem censuit. *Ut quomodo Sol reverteretur ad exordium sui, ita Ezechias vita ad detextos annos rediret.* Paria meditatus est S. Augustinus de Civ. l. 21. c. 8. *Retroversum maximum sidus regnante Ezechia.* Eadem fert Au-

a) Vnde, si placet, Sanct. a. 19. Tir. Jun. Pisc. Perer. Nat. Alex. diff. 8. to. 2. in v. T. &c. Procop. Lyran. Hug. Haimon. Adam. Isai. serm. in Josse.

IN HOROLOGIO ACH.

Author de mirabilibus S. Script. lib.

Solis in ortum ab occasu per decem horum sum recidivo Deus tramite retrorquet ; adiutique insuper : Sol, in procinetu occasus sui positus, in diei initium reducitur. Hanc Solis retrogradationem universum, qua late patet, terrarum orbem sensisse, Theodoretus est author q. 52. in 4. Reg. cuius (inquit) rei circumstantias omnes, & causas discere cupiens Rex Babylonie, legatos suos Jerosolymam misit.

Huic sententiae plurimum conferre videatur tum expresa Scripturæ authoritas, ac PP. & interpretum suffragium, cum etiam quod captui, & menti vulgo fidelium magis sedeat. Cum autem S. Spiritus potissimus Sacrorum librorum author, simplicium captui attemperare se decreverit, ideo dum certum quemdam sensum exprimit, nonnisi per summam audaciam, & impietatem ejus verba alio detorquerentur, nisi forte vel absurdâ quædam atque repugnantia alia Scripturæ loca aliter persuasissent. Quæ vero in hanc sententiam afferuntur incommoda, hæc ex variis philosophiæ systematibus petuntur. Sed quæ a philosophis de dispositione partium universi, quantum spectat ad terram, ad arbitrium excogita, adeo mera sunt figmenta, ut jure Patres atque ecclesiasticorum interpretum plerique nihil sibi ab illis præcavendum censuerint. Cæ-

DISSERTAT. DE RETROGRADAT. SOLIS

In quanto de rebus obscuris , systematis , atque meris opinionibus agitur , semper illud præferendum videtur , quod planius est , & simplicius , tum & magis cum Scriptura , & communibus notionibus quadrat , quamvis non ea sit sententia , quæ e difficultatibus eximatur . Si de philosophorum placitis nobis negotium fiat , quid eos magistros nos sequi compellit ? quid eorum figura cum S. Scriptura conciliare cogit ? Nonne æquior ratio postulat , ut philosophia potius ad revelationem , quam revelation ad philosophiam pertrahatur ? Et id maxime , cum Scripturæ verba aperta sint , & explorata , & philosophia non nisi hypotheses incertas habeat , quippe quæ corpora cœlestia longissimo dissita intervallo vix prospiciat , atque naturæ secreta frustra haec tenus tentaverit . Uni igitur Scripturæ , & revelationi inhærendum , vel invitis philosophicis systematis , nullo nisi humana ratiocinatione , rebusque exploratis per sensus fultis .

Hisce tamen reponunt , Scripturam minus & philosophiam , & naturæ arcana edocenda curare , quare uti non raro phrasibus vix aliter explicandis , nisi ad regulas rationis , & philosophorum ratiocinationes revocarentur . Inter systemata vero philosophiae (addunt) quædam occurrunt certa adeo , & sensibus atque experientiæ probata , ut inter claras metaphysicæ

sicæ notiones jure meritoque reponenda sint. Naturæ author vias semper affectat simplices, & naturæ consonas , atque prodigia nonnisi summa necessitate multiplicanda sunt , nisi forte pernicioſa fictorum miraculorum sarcina religionem onerari voluerimus. Prodigia illa, quorum illustre est in S. Scriptura monumen- tum, maximique sunt ad fidem nostram mo- menti , cum legibus naturæ nunquam non quadrant, id agente Deo, ut insitæ humanis mentibus credendi res supernales repugnan- tiæ , quantum fieri potest , minus avergetur. Porro Solis retrogradationem si quis ad literam voluerit interpretari , hic statas a natura leges in motu Solis subverterit omnes , universi œconomiam turbaverit , tabulas, & observa- tiones omnes astronomicas subruerit. Nam- que vel unus Sol retrogrado cursu decem li- neas repetiit , cæteris interim astris cursum suum tenentibus, quod legibus motus repu- gnat, cum impresso sibi a cursu superiorum cœlorum impetu Solem rapi necesse sit ; vel una cum Sole reliqua simul astra iter verte- runt , quod non minus veritati repugnat. Præstat igitur , ut retrogradationem illam um- bræ tantummodo in horologio Achaz depute- mus ; tunc enim promissorum Isaiæ fides li- beratur , atque verba Scripturæ in libris Re- gum ad literam servantur. Fatemur quidem, Isaiam expressisse recessum umbræ simul & So-

lis ; sed *Sol* in eo Scripturæ loco usurpari facile potuit pro luce , radiis , atque umbra ab iis resultante . Præstat enim obscuram phrasim per apertiores , & expressiores alias explicare .

Sed umbram recessisse concipere non possumus , ni corpus aliquod opacum alia , quam prius , ratione luci opponatur , vel a loco dimoveatur , vel saltem eo immoto corpus ipsum lucidum removeatur . Posterius hoc prodigium nihilo minorem fidem extorquet , quam prius illud : utrinque foveæ sunt , incommoda utrinque . Si ab Sole abstineatur manus , fatemur quidem omnibus cœli astris parci , ne contrario motu retroverti cogantur ; sed male tunc quis de rationis lumine , & experientia communi omnis ætatis mereretur .

Scriptor inter acerrimos prodigiorum Sacrae Scripturæ adversarios , a) prodigiorum tamen vel invitus agnoscere in recessu umbræ , Sole non recedente , cogitur . *Contra ordinem* , ait , *& naturalem effectum Solis & umbræ , miraculo , & modo hominibus ignoto umbra reducta fuerit retrorsum decem gradibus* . Isaias & Ezechias (addit ille) bona fide autumantes Solem circa terram torqueri , visam umbræ retrogradationem ad astrum transtulerunt . His authoribus , cæteris per orbem gentibus impositum est . Sed neque a Propheta ,

ne-

neque a Rege, & populis Astronomiae peritia repetenda est, totumque prodigiū mysterium non a Sole, sed umbra decem lineis recedente efficiebatur. Hoc unum prodigium est.

Audacior adhuc scriptor alius a) ea de re loquitur generosius. Primum enim simplicitatem illorum ridet, qui de Sole retrogrado fabellam crediderunt, cum (inquit ille) umbra tantum horologii decem lineis recessisse visa sit. Unde vero hujus umbræ recessus? Ecce in promptu : e parhelio (ait ille) sive nube, quæ e regione Solis constituta exceptos ejus radios in stylum horologii ita regerebat, ut umbram efficeret decem lineis recessentem. Evanescunt hic omnia prodigia, prona sunt omnia, & naturæ legibus consentanea ; ut si quid prodigiū creditum fuerit, id non rei ipsi, sed vulgaris rudisque populi credulitati deputandum sit. Neque Isaias cæteris doctior fuit ; quippe qui de parheliis ne per somnium quidem cogitaverat, factaque est ad ipsum juxta ejus captum revelatio ; atque in ea erat simul cum Rege Ezechia persuasione, ut Sol circa terram torqueretur. Quidni igitur prodigio rem sibi ignotam deputarent?

G 4

Fe-

a) Auth. tract. Theologico - Polit. c. 2. pag. 22. *Esaiæ finum umbræ retrogradæ ad issius captum revelatum fuit, ----- & de parhelio forte nunquam nec per somnium cogitaverat, quod nobis sine ullo scrupulo statuere licet.*

Felix plane sæculum nostrum, quo Spinosa vivere contigit, virum Prophetis, & authoribus Theodidactis, insignibus Synagogæ Doctoribus, Patribus Ecclesiæ eruditissimis, nostris commentatoribus doctiorem; quippe qui unus intellexerit, quod illi unanimi consensu hucusque præ mentis imbecillitate, prodigio, & quidem maximo in paucis totius Scripturæ deputarunt. Viri Babylonis astronomiæ licet peritissimi, quam unam sententiam tot sæculis nunquam intermisso studio excoluerant, in schola hujus docti increduli infima auditorum subsellia tenuissent; eoque viro doctissimo audito, ab itinere Jerusalem capiendo abstinuissent, discentes inopinatum evenitum parhelio deputari. Unde vero tam opportunum accidit phænomenon illud? unde cum temporis articulum expectavit, ut precibus Isaiæ, atque promissorum ab illo fidei afferendæ inductum videretur? Plus sane in ea temporis circumstantia, quam in re ipsa apparet prodigi. Docet quidem author noster alio in loco, A) *Prophetas semper signum aliquod habuisse, quo certi siebant de rebus, quas prophetice imaginabantur.* Norat profecto (addit ille) Ezechias prophetiæ dono Isaiam claruisse, ejusque de rebus diu postea futuris oracula sciebat; sed in hac occasione vult certo aliquo signo de veritate illius oraculi

culi fieri certior. Verum si datum illud ab Isaia signum communes naturæ leges non transcendebat, qui fieri poterat, ut prophetiæ certam, & infallibilem veritatem demonstraret; prophetiæ (inquam) quæ tota juxta Spinosam, e Prophetæ imaginatione repentina erat? Non erat plane signum illud ipsa, quam indicabat, re certius: cum utriusque eadem esset natura; quin & signum re ipsa quodammodo erat obscurius; namque, juxta cundem, neque Propheta, neque Rex veram ejus causam noverunt. Neque est, cur dixerimus, Deum revelasse Prophetæ veluti supernaturale aliquid, quod re ipsa naturalis ordinis effectus esset; nam quis credat Deum imponere voluisse Prophetis, & populis, certæ & infallibilis veritatis signum adducens neque certum, neque supernaturale?

Authores Catholici, qui umbram tantum, non Solem recessisse suspicati sunt, modestius de tota hac controversia senserunt. A) Cum plane illi animadvertisserint incommoda hujus opinionis supra diducta, omnem verterunt euram, ut Scripturam cum philosophia conciliantes, veritatem historiæ una simul cum miraculi fide componerent. Notant igitur,
I. Textum Scripturæ diserte satis pluribus in locis

G 5

A) *Vide, si placet*, Burgens. Mont. Vat. Tix. Sa, Sandt. ad 4^o
 Reg. 20. II. art. II. - - - 16. 17. & ex Acatho, Grot. Bothar,
 Chanaan. lib. I. cap. 14. Voss. de orig. & progr. Idolol. lib. 2^o
 cap. 9. & alios.

locis exprimere Solis umbram recessisse. Porro si recessus Soli tribuendus fuisset, præpostere fane recessisse umbra perhiberetur. Farentur quidem alibi expressam legi retrogradationem Solis; sed Solis nomen pro umbra ab eodem astro in horologio resultante usurpatum est, quemadmodum contigit saepissime, ut effectus pro causa, & signum pro re significata ponatur. Ita Joan. 3. dicitur: *Percussit Sol super caput Jonæ, & æstuabat*; ubi Sol pro radiis Solis ponitur. Ita etiam cum Eccli. 48. 26. habetur: *In diebus ipsius (Ezechiæ) retro rediit Sol, & addidit Regi vitam*, quo in loco difficitur nemo Solem, sive umbram signum tantum fuisse valetudinis Ezechiæ. 2. Animadverterunt prodigium illud ad unum Ezechiam destinari, ejusque in horologio fuisse spectandum; quare opus non fuit, ut in universo orbis theatro conspicuum præbereatur. Erat enim Divinæ sapientiæ, ut quod paucis perficere poterat, multis non ageret, parcit enim Deus omnipotentia suæ, neque a legibus naturæ, nisi quantum necessitas poscit, sibi ducit recedendum. 3. Legati Regis Babyloniarum Jerusalem venerunt, *ut interrogarent de portento, quod acciderat super terram*; 2. Paral. 32. 31. nempe in Iudea, quæ terræ nomine consueta phrasí designatur. Porro si hæc Babylone, æque ac Jerozolymæ contingissent, quid opus fuit ad veritatem exquirer-

rendam Jerosolymam adivisse? 4. Si res universum orbem habuisset spectatorem, vix fieri potuisse credimus, ut nullus de illa scriptor extaret. 5. Si Sol post decursas decem lineas iterum verso cursu easdeui repetiisset, ut iterum illas emetiretur, dies illa profecto longior fuisset, quam quæ sub Josue; illa enim duplo major fuit, quam pro more, nempe 24. horarum; hæc vero ad 32. devenisset. Diserte autem Scriptura exprimit, nullam diem priori illa productiorem unquam fuisse sive antea, sive postea. A) 6. Tandem omnia recurrent incommoda supra fusius diducta, nempe corporum cœlestium harmonia turbata violento illo, & irregulari motu &c.

Qua vero ratione retrogradatio ista in horologio contigerit, ita scriptores illi rem describunt: Potuit Deus motum suspendere, Solisque radios ita determinare, ut umbra non a Sole aversa demitteretur, sed quemadmodum oriente Sole fieri contingit in conclavi ad occidentem patente, umbra ipsa, quamquam ab orientis Solis radiis resultans, orientem ipsum spectat; ita prodigiæ ratio in eo sita erat, ut radii Solis reflexi in stylum horologii, umbram secus, ac fieri debuisset, demitterent. Porro reflexio illa radiorum ex compacto, subitaneo opere, corpore resultare potuit; quo scilicet subito radiis opposito, obstructa con-
sueta

^{a)} Jesue 10. 14. *Nos fuis ante a nec postea tam longa dies.*

sueta luci via aliam plane diversam teneret. Si hujus sententiae momenta omnia non æque ejusdem ponderis sunt, non ita plane se habent, ut penitus rejici mereantur, & sua pariter autoritate, sicut & scriptorum merito veri aliquam speciem, & similitudinem obtinent.

Recentiores philosophi, qui Solem in centro mundi habitabilis constituunt, ac terram in vortice ejusdem astri perpetuo agitant motu, utramque hujus prodigiī sententiam æque amplectuntur; perinde enim est illis, sive Solis radii ex objecto corporis aversi dicantur, ut umbram detorquerent; sive Patrum interpretatio præferatur, Solem averso cursu priorem viam repetiisse statuentium; namque quod ad nos, atque nostros sensus attinet, iidem resultant effectus, sive Sol circa terram, sive terra circa Solem torqueatur. Debuit plane umbra habitudinem mutasse in horologio, si terra, averso plane a motu suo diurno cursu, torqueri statuatur. De prodigio sub Josue agentes, aliam in hoc systemate de motu terræ hypothesim adduximus, quam ibidem lectores consulant.

Agendum modo, quanto temporis spatio duraverit dies illa, quæ propheticī oraculi veritatem Ezechiæ asseruit. Hæc quidem aliena sunt ab iis, qui totam prodigiī rationem in horologio constituunt; quippe qui nihil accessisse Solis cursui, vel recessisse contendunt.

Qui

Qui vero malunt Solem retrorsum vertere, illis non una sedit ea de re sententia; alii enim diem illam intra 32. horarum spatium concludunt. Primus vel saltem potissimum hujus opinionis author innotuit Pseudo-Dionysius, eandemque tanquam sua ætate communem amplexus videtur Epist. 7. ad Polycarp. Tradit ille diem 20. solidis horis cæteris diurniorem fuisse; quare cum juxta veterem supputandi rationem in horas 12. diem dispescat, atque emensum jam Solem spatium 10. horarum, ac decem insuper horas in recessu insumpsisse constituat, totam deinde summam in 32. horas colligit. a)

Autumant alii, lineas illas, five gradus apud Isaiam non horas designare, sed semihoras, five quartas horæ partes, cuius opinionis has proferunt conjecturas: Optionem præbet Propheta Ezechiae ægrotanti, malueritne umbram decem lineis in horologio anticipare, vel totidem lineis recedere. Si Ezechias priorem conditionem acceptasset, dies emenſo jam Sole decem lineas, five decem horas, ad 20. horarum spatium productus fuifet, cum autem in Palæstina nulla dies unquam tantum temporis spatium duret, non potuit sane in horologio tot horarum nota designari. Ita solaria horologia horas notabant ut multum 16. quin & debebant tantum 12. de-

a) Ita S. Maxim. Scholast. Dion. & Georg. Pachymer,

designasse, servata Hebræorum, tum temporis obtinente, supputatione, diem in totidem horas dividente. Statuamus ergo oportet, lineas illas apud Isaiam non horas tantum, sed & semi-horas, quin & quartas, imo & octavas horæ partes designare, quod plane necessarium erat in Judæa, ut receptæ in ea methodo, dividendi diem in 12. horas inæquales, servaretur. A)

Alii nihil huic diei præ aliis tribuunt, quam 5. vel ad summum 10. horas. b) Statuunt illi singulos gradus horam, vel semi-horam notare, totiusque diei spatium intra 12. horas concludi; tum & Solem uno simul momento totum recessionis suæ 5. vel 10. horarum, pro valore nempe linearum, patium confecisse; quare (inquiunt) confectum antea spatium iterum resumens, totidem horis, quot prius, ad idem punctum horizontis pervenit.

Subita hæc & prompta retrogradatio philosophos habet adversarios, quippe quibus ægre concipiatur iminane illud solare corpus tam prompte vastum adeo, & interminabile spatium confidere potuisse; quæ sane res est non supra naturæ leges tantummodo, sed plane, ut illis quidem videtur, contraria. Ut quid (inquiunt illi) novum hoc & incertum miraculum silente Scriptura adjiciatur? Corporis

A) Vide, si placet, Sanct. Tirin. & apud Bed. & Eucher. b)
Andreas Masius in Jesue c. 10. Cajet. Malvend. Bertram. & alii
plerique.

poris ex alio in aliud locum transvectio nunquam sine motu locali , & successivo fieri potest. Corporum penetratio nulla est ; quare ut e loco dimoveatur, alia etiam commoveri opus est, atque relictum ab uno spatium ab alio statim occupari. Ad hæc , localis corporis motus suum habet celeritatis certum & determinatum gradum ; quippe quod opposita nanciscatur in via corpora alia, cursum suum remorantia , quibus de suo motu communicare aliquid necesse habet. Iter ergo illud , quod a Sole in instanti confectum statueretur, incredibilem plane rapiditatem exigeret , cui etsi multum decessisse opus esset ex communicato immanibus illis corporibus in via occurrentibus motu , tantundem tamen remansisset, ut interminabile illud spatium momento transigeret. Quanta porro tunc in œconomia universi turbatio ? quanta legum motus subversio ?

Sed si retrogradatio admittatur lenta , & successiva , intra plures tantum horas peragenda , quomodo potuit Ezechias oraculi prophetici veritatem statim intelligere ? Optio Regi data erat , utrum mallet Solem decem lineis anticipare diem , sive tantundem spatiis producere. Si primum acceptasset, ac Sol 10. illas lineas successivo lentoque motu diurno, & ordinario percurrisset , qui locus fuisset prodigio ? Plane voluisse ille , ut uno impetu umbra ascenderet , adeoque & eadem celeritate

tate descendere illam voluit. Debuit ergo totum fieri in momento, neque recessum umbræ alia ratione selegit, quam quod difficilius contingere posse judicavit, ut umbra descenderet, quam quod ascenderet. *Facile est umbram crescere 10. lineis; nec hoc volo, ut fiat, sed ut revertatur retrorsum 10. gradibus.* 4. Reg. 20. 10.

Itaque utrinque recurrent incommoda; æque enim naturæ legibus repugnans videatur, ut corpus uno temporis momento ex uno in alium locum transferatur, absque eo quod per interjectum spatium traducendum sit; cum maxime corpus illud immane fuerit, & duo illi termini vastissimo distent intervallo, quemadmodum impræsentiarum contingere debuerat. Videtur etiam Ezechias autumasse, illam in horologio variationem momento fieri; neque ea spe frustratus appareret. Qui totam prodigii rationem in recessu umbræ constituant, nihil de Sole statuentes, incommoda hæc omnia facile evitant. Alii vero quid hisce reponere possint, non satis intelligo; utrinque enim illis angustiæ, vel Solem lento motu, sive prompte recessisse statuerint. Sed post hæc omnia neutram sequi opinionem cogimur, quo prodigii veritatem statuamus. Satis est enim ad prodigium, ut umbra Achaz recessisse divinitus, & merito precum Isaïæ dicatur. Ad hæc tantummodo expressis Scripturæ verbis cogimur.

Uſſerius ad ann. M. 3291. in ea est ſententia, ut Solem una cum cæteris aſtris totaque cœleſti machina retrovertat; quanquam id ſimul conſtituit, ut ſalvæ ſint omnes obſervationes aſtronomicæ, ſpatium illud diei acce-dens a nocte deſtractum fuiffe, Divina id agen-te, & diſponente providentia. Ita plane (in-quit ille) noſtra etiam ætate eclipses Lunæ a Ptolemæo notatae, regnum Ezechiæ præce-dentes, cum eodem punclo componuntur, juxta calculum noſtrorum aſtronomorum, cui diu ante aſſignatae ſunt a Chaldaeis. Totum igitur hujus diei ſpatium, compositis ſimul die nocteque, conſuetum diurnum tempus non excedit. Sed hæc viri docti ſententia ſua habet incommoda; namque dum Iſaias ad Ezechiā loquebatur, noctis jam ſpatio evoluto dies ſuc-ceſſerat. Quare quod accessit diei, e nocte de-trahi minime potuit; ſi ille subsequentem no-ctem breviorem fuiffe contendat, miraculum addidit, de quo altum in Scriptura ſilentium, illudque inducere nulla cogimur neceſſitate, cum ſolvendi prodigiū aliae rationes occurrant.

Rabbini, fœcundi temperamentorum pa-rentes, aliam ineunt rationem, ut aſtronomi-cas obſervationes ſalvent, ita tuentes in obitu Achaz patris Ezechiæ diem 10. horis curſum breviaffe ſuum, ne ſcilicet ſpatium daretur im-pio Regi parentandi. Volunt autem eas ho-ras reſtitutas diei ſub Ezechia, ut proinde in

suas sedes restituerentur astronomicæ observationes, salvaque essent omnia.

modo, ne quid unquam omittamus contra opinionem de recessu Solis, in examen revocandum est, an apud veteres authores quidquam ea de re occurrat. Vix enim fieri potuisse creditur, ut inauditi illius, atque in universo orbis theatro spectabilis prodigiū memoria nulla apud posteros manserit; eamque neglexerint in suis observationibus astronomicis, & in calculo eclipsium sapientes illi Babylonici, qui de re tota audituri Jerosolymam se contulerunt. Extabant adhuc Alexandri ætate, a) & post ipsum etiam, b) eorum observationes, jam inde supra Ezechiæ ætatem ab æra, ut minus, Nabonassaris circa A. M. 3257. repetitæ. Quis autem crediderit, Græcos, sive Romanos, tam curiosos veteris historiæ scrutatores, numquam in historia Chaldæorum rem adeo mirabilem animadvertisse, vel animadversam posteritatis memoriæ invidisse?

Hisce tamen plura reponenda. 1. Multa e veteribus monumentis concidisse, ac potissimum Chaldaica, Phœnicia, & Ægyptiaca, ex quibus aliquid ea de re peti debuitset. 2. Novum non est, veteres prodigium illud silentio pressisse, cum plura etiam memoria dignissima tenebris, & oblivione sepeliverint. 3. Praecavisse

a) Arist. apud Simplicium lib. 3. de cœlo. b) Vide Diodor. Bibl. lib. 2. Cic. de Divinat. lib. 2.

cavisse satis sepe ab hac veterum negligentia
Divina providentia visa est, prodigiis memoriam
in tribus Sacris libris servari disponens. Notatur enim in libris Regum, Isaiae, & Paralipomenis; nec etiam obscurae de illa sermo est apud authorem Ecclesiastici, diu post captivitatem in vivis agentem.

Herodotus vetustissimus Graecorum historicus subodoratus aliquid ea de re videtur; narrat enim lib. 2. cap. 142. ex Aegyptiis didicisse se, intra spatium 10340. annorum Solem quatuor vicibus inusitata quadam ratione ex Horizonte emersisse; bis scilicet surrexisse ex occidente, bis in oriente occidisse. Verum si recte attentamus, author iste plura in unum confundenda distinguit; debuit enim tantum dicere, Solem bis verso cursu ex occidente orientem repetuisse, quod quidem semel sub Josue, iterumque sub Ezechia factum novimus. Paria, sed minus etiam credibilia, & multo exaggeratio a traditione ex Aegyptiis accepta, refert Solinus cap. 45. his verdis: *Ferunt a primis gentiis suæ avis traditum, ubi nunc occasus est, quondam ibi ortum Solis fuisse.*

Tandem Pseudo-Dionylius Areopagita in Epist. ad Polycarp. contendit, hujus prodigiis memoriam mansisse apud Persas in cultu *Mitrae*, vel Solis cognomenti Triplicis; cuius nominis in causa fuit (inquit) quod dies sub Ezechia triplo major fuit, nempe juxta illum

authorem 32. horarum. Quare (inquit) Persæ prodigium illud celebraturi , Deum suum specioso *Triplicis* elogio insigniverunt. a) Sed peritissimi nostræ ætatis critici , b) nec satis conveniunt de titulo Mitræ , neque de causa. Quando autem Numini *Triplicis* cognomen adjectum esset , potuit ejus rei alia fuisse , quam quæ a Dionysio assignata est , causa ; facile id nominis inditum ex calore , luce , & discrezione temporum , vel si mavis , ex sapientia , virtute , & charitate Numinis &c.

Antequam ultimum dissertationi modum imponamus , pauca de origine horologiorum differenda sunt , sicut & de ratione horas supputandi ; quo authoris Vulgatæ interpretationem vindicemus , reddentis eo loco *horologium Achaz* , sicut & pro gradibus nomen *linearum substituentis*. Non defunt enim viri alioquin doctissimi , c) sustinentes horologia , sicut & diei horas , nulla fuisse Hebræis ante captivitatem ; quorum sane hypothesis omnia evertit , quæ huc usque a nobis de horologio Solari Achaz disputata sunt. Fatemur quidem longo temporis spatio nullas fuisse Hebræis voces peculiares horologiis designandis ; sicut & nomen horas exprimens desiderari in libris , qui adhuc extant , Hebraice scriptis ante captivitatem Babyloniam. Sed hæc tanta non sunt ,

quæ

a) Ita Pachym. & Maxim. & Corder. Interpret. Dionys. b) *Vide* Vossium de Idolol. lib. 2. cap. 9. c) Uifer. ad An. Mundi 239¹. & Jaquetot. dissert. 1. in existentiam Dei, cap. 16. pag. 190. 191².

quæ latuisse Hebreos horologia demonstrent; sicut neque ignotum fuisse genti usum distinguendi horas per lineas, sive gradus, quod in historia prodigiis sub Ezechia legimus. Tobias Ninive scribebat sub Manasse Rege Iuda, in cuius exemplari Chaldaice scripto, quod ad manus habebat S. Hieronymus, diserte horarum nomen exprimitur cap. 12. 22. *Prostrati per tres horas.* Unanimis est etiam veterum, & novorum interpretum sententia, lineas in horologio Achaz horas designasse, quorum opinio historiæ monumentis abunde fulcitur.

Nihil hic moror Appionis testimonium apud Joseph. lib. 2. contra Appion, tradentis: *Moses, ut accepi, Heliopolitanus erat, qui patriis institutus moribus, subdivales precationes ad Septa, qualia civitas habebat, reduxit, ad subsolanum autem omnia convertebat.* Ita enim Heliopolis sita est. Pro obeliscis vero statuit columnas, sub quibus ceu pelvis forma exprimebatur. Super columnam figura hominis posita eundem semper cum Sole cursum circumvolvebat; nempe, quantum conjicio, umbra figuræ supra stylum constitutæ Solis circumversionem observabat in subjectam pelvem incidens, ita facile varias diei horas distinguebat. Alioquin quid opus fuisset figuram statuere super columnam una cum Sole gyrandem? Opus non est impræsentiarum, adversarium istum Judæorum refutemus, cum satis

inter omnes conveniat, nihil tale Moysem umquam statuisse, neque Judæis positum in mortibus, ut subsolanas precationes observarent; atque ejusdem legislatoris ætate, & diu etiam post nullas fuisse Judæis certas horas, & horologia, quemadmodum ex libris ab eo scriptis ejusque legibus certo certius intelligimus.

Ægyptii jactabundi semper, & nullum lapidem non moventes, quo vetustatis, & scientiæ suæ famam augerent, contenderunt, jam inde a remotissima ætate horologia fuisse in sua regione familiaria. Erat (inquiunt) Achante, urbe ad Nilum, vas quoddam ingens, quod singulis diebus aqua opplebatur, ejusque certo, & uniformi defluxu variæ diei horæ distinguebantur. a) Ad eam normam postea fabricatæ sunt apud Græcos, & Romanos clepsydræ, usu deinde familiarissimæ. Horæ nomen a Deo Horo, quod Solis est, derivant; ac tandem apud Ciceronem sermo est de Cyanocephalo, b) duodecies per singulos dies æquis observatis temporis interstitiis mingente; ex quo succurrit Trismegisto, ut diem in 12. horas distingueret. Trismegistum hunc paulo Moysè recentiorem statuunt. c) Hæc de horologiorum, & horarum antiquitate occurrunt, quamquam, sicut antiquissima, non ita plane certissima videntur.

Ni-

a) *Vide, si placet*, Diod. lib. 1. pag. 61. & Strab. b) Tull. apud Victorin. a Macrobius citat. lib. 1. cap. 21. c) Marsh. Sacro. Can. Ægypt. pag. 241. Edit. Lypsi. 1676.

Nihil satis expressum de horologiis apud Homerum, in cuius tamen Odyssaea O. V. 402. duo recurrunt versus, qui de horologiis explicari posse videntur: *Insula quædam Syria vocatur, sicubi audis, Ortygia desuper, ubi mutationes Solis.* Hæc insula una est ex Cycladibus, ubi, si fides sit veteri cuidam scho- liaistæ, spelunca erat satis opportune acceden- tem, & recedentem ad nostrum meridianum Solem demonstrans. Sunt inter eruditos, qui suspicantur, poëtam eo loci sermonem habe- re de horologio Solari; & Diogenes Laërtius in vita Pherecydis philosophi author est, man- sisse etiam sua ætate in insula Syro Solare ho- rologium ejusdem philosophi. Hoc autem Pherecydis horologium ipsissimum esse Home- ricum quidam suspicantur, quod scilicet phi- losophus ille sive restituerit, sive perfecerit; quæ si vera sint, usum horologiorum in Græ- cia ipsa belli Trojani ætate demonstrant. Sed nihil certi statuendum ex ambiguo testimonio; quare solidius aliquid querendum.

Herodotus lib. 2. cap. 109. affirmat inva- luisse apud Græcos morem horologiorum So- larium, & stylorum ex Babylonii deductum; ipsorumque Græcorum confessione Anaximan- der horas distinxit, atque horologia Solaria in Græciam invexit. a) Fallitur autem Plinius, cum ejus rei honorem Anaximeni tribuit.

Emortualem Anaximandri annum Usserius componit cum An. M. 3457. premente jam captivitate Babylonica, & sub Cyro. Porro philosophus iste ex itinere in Chaldaeam potuit horologiorum rationem didicisse.

Ex eodem, quantum conjicimus, fonte derivatum creditur ab Achaz horologium, de quo nunc sermo; docente enim Scriptura scimus, satis inter illum, & Theglatphalassarem Regem Assyriæ convenisse, quem postremum Regem in auxilium alter adscivit contra irruptionem Regis Syriæ, & Samariæ, ejus religionem adoptavit adeo, ut aram Damascenæ similem (quam ipse Achaz invisendum Regem conveniens spectaverat) Jerosolymæ erigendam curaret. Horologiorum Solarium inventio nova erat tum temporis, & utilis; quare eam libens occasionem accepit Achaz, ut simile procuraret in palatio suo Jerosolymæ. Nonnisi autem temere certi aliquid de ejus figura affirmaretur; verum cum Scriptura constanter voce *Maalot*, quæ gradus sonat, utatur, quantum assequimur conjectura, facile credimus, nihil habuisse horologium illud similitudinis cum Græcorum, & Romanorum, ac facile concavam quamdam sphæram retulisse, quemadmodum Græca illa *Scaphe* appellata.

Rudis primum horologiorum ars perfici paulatim, ac successive cœpit. Ita quæ primum

mum diurnas tantum horas distinguebant horologia, in usum deinde noctis etiam fabricata sunt, ut de Platonis horologio Athenæus lib. 4. animadvertisit. Facile nocturna hæc clepsydræ erant, sive horologia arenaria. Describit poëta quidam Græcus a) philosophum gerronem, & avarum subinde ampullam quamdam oleo plenam sollicitate spectantem, ac si horologium portaret. Scipio Nasica b) clepsydram dedicavit sub tecto A. U. C. 595. cum ad id usque populus Romanus in nocturnis, diurnisque horis, cum Sol non appareret, incertus vagaretur. Apud Vitruvium lib. 9. cap. 9. fusius agitur de horologiis Solaribus & clepsydris.

Ante horologia distinguendo tempori pedes serviebant, unusquisque enim umbram sui corporis dimetiebatur; qui plane usus diutius mansit ruri, quemadmodum ex Palladio, auctore secundi saeculi, intelligimus, apud quem singuli duodecim libri *de re rustica* clauduntur cum mensura Solis singulorum mensium, quæ horas ejusdem mensis pedum dimensione distinguueret. Eadem occurrunt in tractatu de horologiis inter opera Bedæ Venerabilis. Varia est quidem corporum mensura, sed tamen nihil ex eo incommodi in horarum æqualitatem, cum pedum mensura plerumque corporis ha-

H 5

bi-

a) Battæ apud Casaub. in Athenæum lib. 4. cap. 17. b) Plin. lib. 7. cap. 60.

bitudinem sequatur. Computabatur umbra usque ad viginti pedes, atque horæ conveniendi cum amicis, horæ prandii &c. ad talem pedem destinabantur, quemadmodum apud nos ad talem horam certæ quædam res peragendæ constituuntur. Vir quidam ad prandium invitatus ad 12. pedes, cum nocte intempesta e lecto surrexisset, ad Lunæ micantis fulgorem (Solem ratus) umbram dimensus, condictam pedum mensuram deprehendit, quare statim ad prandium ante exortum Solis in amici domum convolavit. a)

a) Menander.

DISSERTATIO

*De Præfectis Aulæ, & Militiæ Regum
Hebræorum.*

 Um Hebræorum mores & consuetudines adeo sint a nostris moribus dissonæ, & Judæorum historia adeo parcasit, cum de pluribus ejus gentis Regibus agitur; ideo operæ pretium nos facturos censemus, si curas omnes nostras intendamus, ut munera omnia, titulos, & privilegia præfectorum in aula, & exercitu Hebræorum expoundenda aggrediamur.

Ple-

Plerumque filii Regum secunda erat a patre in regno potestas ; hinc filios David *Primos fuisse*, legimus *ad manus Regis*, 1. Paral. 18. 17. & ibid. 18. *Fili David sacerdotes erant*, nempe a Rege Secundi. Regi Ochozice assidebant quadraginta Principes fratrum ipsius filii, qui principatum in Juda atque summa apud Regem munera gerebant, 2. Paral. 22. 8. Ad quem vero regni haereditas spectabat, illi potior erat supra cæteros fratris dignitas; nec raro post Salomonem Reges Juda, & Israël filium suum regni futurum successorem in societatem imperii superstites adhuc adsciscabant. Quod frequentius usurpatum, deinde in morem, legemque transivit. Neque apud Hebraeos tantum, sed etiam apud Persas obtinuisse lex videtur, ut Principes ad bellum extra regni fines processuri, A) successorem suum designarent. Quo vero illi haeredes regni futuri procederent apparatu, ex historia Absalom, & Adonizæ satis intelligimus; nec enim illi deerant corporis custodes, non currus, non viri, qui illos præcederent, 2. Reg. 15. 2. & 3. Reg. 1. v. 5.

Regiorum puerorum custodes viri probatae sapientiae, & gravitatis eligebantur, quemadmodum ex viris a Davide selectis intelligimus: *Jonathan patruus David consiliarius, vir prudens, & literatus; ipse, & Jabel filius Hachamoni, erant cum filiis Regis*. 2. Paral. 27. 32.

A) Herod. lib. 1. & lib. 6.

De

De nutriciis Regiæ familiæ sermo est in Scriptura, cum de filiis Achab apud Optimates Samariæ educatis agitur. 4. Reg. 10. 1. Rex Roboam educandos filios suos in amplissimas urbes Juda, & Benjamin miserat, ^{A)} quibus deinde jam adultis & regias opes, & non imparis nobilitatis uxores paravit; ea facile cautione, ne quid dissidii inter filios diversarum conjugum oriretur, occurrens.

Spectatissimum, & princeps aulæ munus gerebat Regiæ domus Oeconomus, quem ego designari credo illis Scripturæ verbis: *Secundus a Rege* 2. Paral. 28. 7. *Tu regnabis*, ait Iohannas ad David, *super Israël*, & *ego ero tibi secundus*; sed & *Saul pater meus scit hoc*, 1. Reg. 14. 17. Eandem dignitatem Josephi sub Pharaone obtinebat, Genes. 41. 42. eandem Aman primum Esth. 13. 3. 6. & 15. 2. deinde Esth. 8. 1. 2. & 9. 4. Mardochæus, quem *Principem esse palatii*, & plurimum posse noverant sub Aßuero Rege Persarum; & Elchanan sub Achaz 2. Paral. 28. 7. Huic similis respondebat in aula Constantinopolitana *Præpositus magni palatii*, & veterum Francorum Regum *Major domus*. Appellabantur etiam viri amplissimi, fideles, & Regum intimi; ita Moyses *fidelis erat in domo Dei*, Num. 12. 7. & vir super universam familiam constitutus, fidelis & prudens a Domino designatur, Matth.

24. 45. Id muneris gerebat Eliezer in domo Abraham, Genes. 24. 2. & Zabadias filius Ismaël constitutus legitur a Davide *super ea opera*, quæ ad Regis officium pertinent, 2. Par. 19. 11. Suspicor tamen, œconomum alium fuisse a præfectis, qui res externas curabant, de quibus infra. Porro hujus dignitatis, de qua imprimis presentiarum, insignia fuisse videntur clavis super humeros gestata, magnifica quædam zona, vestisque, & titulus *Patris domus Iuda*, & locus distinctus in primis. Vide Isaï.

22. 21. 22.

Scribæ munus inter aulæ primora sine controversia reponendum, quamquam quid illud potissimum esset, vix definire possumus. Sub Davide ex dignitate auctus legitur Josaphat filius Ahilul, 2. Reg. 8. 16. quam etiam sub Salomone gerebat, 3. Reg. 4. 3. Sub Ezechia scribæ munere fungebatur Joahe, 4. Reg. 18. 18. & sub Josia Joha filius Joachaz, 2. Paral. 34. 8. Eorum potissimum munus videtur, ut in publicas tabulas redigerent, redacta sque custodirent historias, & ephemerides Regum Judæorum; ex quibus derivatos credimus commentarios illos, toties in Scriptura sub nomine *verba dierum laudatos*. Eos viros Scriptura appellat *Masechir*, acsi diceretur: *qui in memoriam revocat*, seu qui monumeta Reipublicæ servat.

Illud impræsentiarum addendum, eos, qui scribas veterum Hebræorum Cancellariis nostrorum Regum compararunt, nunquam mihi persuasisse. Memorantur enim apud veteres præfectorum aliqui, quorum munus multo sane melius exprimitur nomine *Mæschir*, seu *revocantis in mentem*, quam nomine Cancellarii. Erant ad latera veterum Heroum admonitores sui, seu viri amplissimi, quos patris loco observabant, eorumque consiliis ducebantur. Ita Ulyssi monitor aderat *Myiscus* Cephalonicus, a) Achilli Noëmon, Patroclo Ecedorus, Hectori Dares, Protesilao Dardanus, & Antilocho Chalcon ejus armiger. Hisce, quantum conjicio, respondebant apud Persas viri illi, quos Regis oculos, & aures appellabant, b) quibus nihil inauditum, & inexplicatum, ut de omnibus Regem facerent certiorem. Ptolemæo Philopatori, quantum ex 3. Macch. 5. intelligimus, suus erat monitor, singulis diebus Regem, quid facto opus esset, instruens. Reges Ægypti ita describit Diodorus Siculus, quasi in media sapientissimorum corona assiderent, qui, ne aliquid contra leges molirentur, autoritate sua prohibebant. Cum mane e lecto viri illi surgerent, nihil habebant antiquius, quam ut statim literas undique ad se delatas legerent. c) Erant igit-

a) Ptolom. Hephaest. l. 1. b) Vide Xenoph. l. 8. Cyrop. Aristid. Orat. Paneg. Cyzic. c) Diod. Sicul. l. 1. p. 44. seu 63.

igitur *Masechir* apud Reges Juda iidem plane vi-
ri, quantum conjectura assequimur, ac oculi apud
Reges Persarum, monitores apud veteres Hero-
as, & viri a secretis apud Reges Ægypti.

Viri Regi a secretis plerumque in Scriptu-
ra scribis juncti memorantur. a) De munere
scribarum, sive virorum a secretis fusius in
librum Judicum 5. 14. disputavimus. Tria
illorum genera distinguuntur: alii Tabelliones
erant, publica monumenta, & privatas scri-
pturas in tabulas referentes. Alii vero scri-
ptis excipiebant, simulque exponebant Sacros
libros; ut proinde tanquam doctores Judæo-
rum haberentur. Tertium scribarum genus
referebant illi, qui a secretis erant Regum,
quorum est impræsentiarum mentio. Regis
edicta, & diplomata scriptis excipiebant; cen-
sum servabant, qua copiarum, qua urbium,
sicut etiam proventuum, sumptuumque ra-
tionem. Eorum æque munus in aula, & in
exercitu necessarium, b) ex quo de amplitu-
dine illius Magistratus argumentum capere li-
cet. Suæ illis sedes in aula destinatæ erant,
viro a secretis Regis proxime, apud quos sum-
mi totius Reipublicæ & militiæ præfecti conve-
nisse videntur. c) De præfecto *supra bellatores*
viros sermo est 4. Reg. 25. 19. cuius erat mu-
nus exercendi milites in arma, seu copias in
bel-

a) המפרים b) *Vide, si placet*, notas Constant. l' Emper.
in cap. 10. Bertram. de Rep. Hebr. 12. c) Jerem. 36. 12.

bellum educendi , vel saltem copiarum omnium regionis censum servandi . Rationem omnem apud illos turrium , & arcium Regis servari Isai . 33 . 18 . insinuat . *Ubi est Legis verba ponderans* (Hebr . ponderans , scilicet argentum , & census) *doctor parvolorum?* (Hebr . numerans turres) Apertius adhuc de illo legitur i . Mac . 5 . 42 . Judas Præfectos armorum mandatis oneravit , ut secus torrentem manentes , neminem ex militibus ultra aquas relinquerent , sed omnes ad transitum cogerent . Porro viri illi amplissima erant & spe-ctata Reipublicæ portio , summam , si alias unquam , authoritatem soluta jam captivitate obtinente s . Ita sub Juda Macchabæo omnes simul Alcimum , & Bacchidem convenisse , ut populi nomine agerent , legimus i . Macch . 7 . 12 .

Paria in aula Regum Persarum obseruamus . Cum Xerxes exercitum suum lustrasset , singulas variarum gentium , quibus constabat , copias oculis inspecturus , consenso curru per singulas turmas discurrebat , cuius essent regionis gentisque sciscitatus ; quid singulæ respondissent , Regiis scribis scripto interim redigentibus . a) De scribis Assueri ejus edita in tabulas referentibus , sermo est Esth . 3 . 12 . & 8 . 9 .

Amicus Regis peculiaris dignitatis titulus non erat , sed fortunæ , cuius beneficio nunquam

a) Herod . lib . 7 . cap . 106 .

quam in aula defuerunt, quibus Regius favor velificaretur. Ex alto licet Reges orientis populos sibi subjectos despicerent, quamvis torto dominorum potius supercilio, quam leni patris oculo illos intuerentur, superbas tamen rigidasque mentes blanda semper amoris voluptas edomuit; qui, si forte ad eos, quorum amore tenebantur, sese demittere recusassent, eos tamen congestis honoribus, dignitatibus, & opibus ad se quoddammodo elevare conati sunt. Memoratur in Genes. 26. 26. Ochozath amicus Abimelechi Regis Geraræ: de Chusai amico David legimus 2. Reg. 15. 37. & 16. 16. De Zabud filio Nathan sacerdote, seu Principe, & amico Regis Salomonis, 3. Reg. 4. 5. In Vulgata 3. Esd. 8. 12. & 1. Esd. 7. 14. septem viri illi amplissimi, qui Regis lateri semper assistebant, *amicorum Regis* titulo designantur. Aman ad summos honores, favore Regis velificante, electus, novo titulo *pater Regis* appellabatur, Esth. 16. 11.

Alia dignitas in Scriptura memoratur eo titulo: *Secundus a Rege*. Hanc obtinebat Elchanan sub Achaz Rege Juda, 2. Paral. 28. 7. Ianc Joseph sub Pharaone Rege Ægypti Genes. 41. 42. Aman sub Assuero Rege Persarum Esth. 13. 3. 6. & 15. 2. Jonathas ad Davidem locutus dicebat: *Tu regnabis super Israël, & ego ero tibi secundus*, 1. Reg. 23. 17. Post dejectum Aman, ejus dignitatem in aula Assueri

Mardochæus obtinuit, Esth. 10. 3. Sed quænam hujus dignitatis privilegia? Vix illa certo definire possumus; amplissima tamen fuisse oportet. Assidebat secundus a Rege in loco post Regem honoratissimo, a) authoritatemque suam, qua late patebat Regis ditio, parum infra Regem, & super omnes Regios præfectos obtinebat. Quin etiam cum Reges orientis intra privatos palatii sui cancellos sese facile continerent, totamque regni administrationem per præfectos exercebant; ideo non inviti credimus, Regis secundum eodem plane apud illos in gerendis rebus loco fuisse, ac apud nos est primus regni minister, ad quem omnia regni negotia deferuntur. Nihil æque favorem, & authoritatem horum præfectorum magis demonstrat, quam quæ de Holoferne, secundo a Nabuchodonosore Rege Ninive, legimus. b) Viro enim illi ad Regium cultum, & magnificentiam nihil deerat. Xerxes, si regnum sibi concederetur, secundi dignitatem fratri suo Ariameni pollicitus est. c)

Erant etiam in aula Regum Juda, & Israël Sacerdotes, & Prophetæ, qui speciali titulo Sacerdotes, & Prophetæ Regis appellabantur; sive quod illi constitutam haberent in aula sedem, ut lateri Principis perpetuo adessent; sive offerendis sacrificiis, & precibus pro vo-

lun-

a) 3. Esdr. 3. 7. Joseph. Antiqui. II. cap. 4. b) Judith. 2. 4: in Graec. c) Plutarchus.

Iunctate Regis occuparentur, simulque jussu Regis Dominum consulerent. Gad munus obtinebat *Videntis David*, 2. Reg. 24. 11. cui etiam Regi sui erant cantores, appellati *Prophetæ David*, a) ita facile dicti, sive quod ministrarent in Tabernaculo ab eo Jerosolymis erecto, sive quod scriptos ab illo psalmos cantarent. *Ira Fairites Sacerdos erat David*; b) quamvis quid potissimum eo loci nomen Sacerdotis designet, an sacerdotem, an amicum, a consiliis, præceptorem Regis, c) quomodo Alcuinus præceptor erat Caroli Magni, incertum. Neque enim Ira ad familiam Aaron, sed ad Jair filium Manassis spectabat. Nomen etiam sacerdotis obtinet Banajas filius Jojadæ, 1. Paral. 26. 5. Zabud filius Nathan, amicus 3. Reg. 4. 5. sive intimus Salomonis, ac tandem filii David, quanquam nemo illorum munus sacerdotis in templo exerçuerit. Consiliarii dignitas ipso satis nomine intelligitur. Inter eos celebratur Achitophel sub Davide, d) vir æque & consiliorum calliditate, & scelere præstans. Roboamus seniorum consiliis, qui Salomon aderant, spretis, juvenes una secum innutritos, non impune tamen, audivit 3. Reg. 12. 6. 10. Ochozias Rex Juda vestigia Achab socii sui legit, quod eosdem viros in consiliis adhiberet. 2. Paral. 22. 4. Consiliariorum nu-

a) 1. Paral. 21. 12. & 25. 2. b) 1. Paral. 21. 12. & 25. 2. c)
2. Reg. 20. 26. *Viae nostræ Comment. ibid.* d) 3. Reg. 15. 12.

merus apud Persas ad septem defniebatur; quemadmodum ex 1. Esdr. 7. 14. & Esth. 1. 10. intelligimus. Appellabantur oculi Regis, quorum consilio si forte edictum aliquod Rex proposuisset, dein ne Regi quidem revocare integrum erat. Esth. 1. 19. & Dan. 6. 17.

Cum apud veteres Hebræos suus esset agriculturæ, atque parsimoniæ honor, constituti erant a Regibus præfecti agrorum, a) arborum, vinearum, olivarum, gregum tam ex asinis, quam camelis, bobus, capellis, & ovi- bus. Alii erant constituti viri super opera, nempe super eos, qui Regis impendio diurnas operas præstabant, vel saltem super mancipia, quæ Regi laborabant. Præter hos omnes memorantur præfecti ærarii, sive proventuum Regis, b) nempe cellæ vinariæ, & oleariæ, sicut & horreorum; mos est enim Hebræis, ut rerum utilium & pretiosarum acervum thesaurum appellant; sicut & divitiarum nomine designant non aurum tantum, & argentum, sed etiam fructus terræ, vinum, oleum, & greges. Hæc omnia Regia cura non indigna Salomon arbitratus, in suis libris plura œconomiae axiomata sparsit, tum & impensam illis operam suam ipse in Eccle. 2. 4. 5. 7. perhibet. His veteres delectabantur; nam & apud Homerum Democoon filius Regis Priami c) greges

a) Vide 1. Paral. 27. 25. 26. &c sequ. b) 1. Paral. 27. 25. Isaïa 22. 15. (e Homerus Iliad. D.)

ges equorum patris sui selectos in Abido curare jussus est ; sicut & septem filii Ectionis Regis Ciliciæ eodem curandi paterni operis munere occupabantur.

Olim apud Reges Persarum ante Darium Hystraspem in moribus positum erat, ut a subjectis sibi populis fructus, aliarumque rerum genera, quarum singulæ regiones feraces erant , tributi loco reciperent. Sed his omnibus abrogatis , Darius Hystraspis pecuniam indixit. a) David, Salomon, & cæteri post ipsum Reges, tributi nomine aurum, argentum, greges, fructus pro singulorum facultatibus recipiebant. His colligendis sui erant præfecti vectigalium constituti : b) Aduram munus illud gerebat sub Davide , 2. Reg. 20. 23. Adoniram sub Salomone , 3. Reg. 4. 6. a quo etiam eodem munere colligendi tributa ex Ephraim, & Manasse 3. Reg. 11. 28. Jeroboamus auctus est ; nisi eo loci tributi nomine non vectigal , sed potius personale singulorum obsequium , & labor designetur. Eam igitur occasionem nactus Jeroboam , cum ab alienatos a Salomone Israëlitarum animos nosset, quod scilicet gravissimo tributorum jugo a Salomone antea oppressis nihilo mitiorem habiturum Roboamum ejus filium sperarent , illos ad defectionem sollicitans , decem Tribus in suas partes adduxit , a quibus in Regem salutatus est. Seditioni com-

I 3 . pescen-

a) Herodot. lib. 3. cap. 89. b) הַמִּם לְעָ

pescendæ Roboamus misit Aduram vectigalium præfectum, quem seditiosi, ne auditum quidem, lapidibus confecerunt, 3. Reg. 12. 18. Olim apud Hebræos tributis nomen munerum dabatur; subjectique Regi populi munera ad eum deferebant; & nostra etiam ætate apud Persas sunt præfecti constituti, qui munerum dominis suis collatorum rationes servant. a)

Rei cibariæ in aula Regis præfecti apud Salomonem non obscure insinuantur; quamquam apud alios post illum Reges parciores fuisse mensarum sumptus, & magnificentiam facilis concesserim. Erant igitur apud Salomonem duodecim præfecti, qui annonas, resque omnes ad victimum necessarias in Regiis ædibus curabant, 3. Reg. 4. 7. Ministrabant singulis mensibus per ordinem, assignata pariter singulis sua, ditionis Israëliticæ parte, unde annonas exigerent, ne idem semper populus immodico sumptu gravaretur, & nihil unquam Regiæ mensæ deesset. Quotidie enim in mensa Principis erogabantur *triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ*, ibid. v. 22. Porro corus mensura est capiens 298. pintas, & semis, cum semifextario, & aliquanto amplius. Quod ad dapes carnium attinet, singulis diebus decem boves pinques, saganati in eum usum mactabantur, adjectis etiam e grege 20. bobus, 100. ovibus, ut nihil dicam de

a) Chardin. Voyag. en Perse pag. 275. 276.

de bōbus sylvestribus, damis, cervis, & altilibus venatione paratis. Ex his omnibus non obscurō argumento intelligimus, quam immensa hominum multitudo in obsequium magnificentissimi Regis maneret. Regina Saba ad tanti nominis famam Jerosolymam accita, nihil æque mirari se protestata est, quam numerum, ordinem, cultumque præfectorum, & armigerorum mensæ Regiæ ministrantium, a) sicut & dapium vere Regiam magnificentiam apparatumque. Ipse de se Salomon perhibet, cantatorum & cantatricum choros adhibuisse; nihilque fecisse reliqui, ut quam magnifice potaret, cœnaretque; scyphos, & urceos in ministerio, ad vina fundenda, b) *omnia vasæ convivii Regis erant aurea.* In mensa Regum Juda, & Israël appositas credimus dapes omnes, quæ deinde inter præfectos aulæ distri-
buerentur, quorum adeo immensa erat mul-
titudo, ut, si fides sit scriptoribus alioqui ex-
actissimis, c) ad 48600. sive 50000. in aula
Salomonis numerarentur. Jezabel præter au-
læ præfectos, suis sumptibus, ac Regiæ mensæ
dapibus alebat 850. Pseudo-Prophetas Baal, &
Astartes. 4. Reg. 18. 19. Reges Persarum sin-
gulis diebus cibum suppeditabant 15000. viris in
aulæ obsequiis manentibus; d) quibus ex ap-
positis in Regia mensa cibis ministrabatur. e)

I 4

Sa-

a) 3. Reg. 10. 5. b) 2. Par. 9. 20. c) Villalpan. & Calvisius.
d) Herodot. I. 7. 17. Athen. I. 10. c. 10. e) Athen. I. 6. c. 14.

Samuel exponens pro concione Israëlitis jus ejus, quem sibi poscebant, Regis, co-gendas ab illo dixit filias Israëlitarum, ut sibi unguenta, cibos, & cætera omnia ad victum necessaria pararent. Ad hæc usurpaturum si-bi eorum famulos, famulasque, coacturum in-super Israëlitarum juvenes, ut Regis agros colerent, sicut & cætera præstarent opera, quibus nihil a mancipio distarent. Hæc ille pro recepta inter Reges orientis consuetudine, ut subjectis sibi populis mancipii loco utentes, gravissimis impositis vectigalibus, qua in sin-gulorum proventus, qua in capita virorum manus injicerent. His omnibus exigendis sui erant præfecti destinati.

Postremo in aula loco erant eunuchi, quo nomine in Scriptura designantur mancipia mi-nistrando Regi, sive Reginæ destinata. Ne-que enim semper id nomen verum eunuchum exprimit, cum Hebræis cautum esset, ne gen-tilem suum quemquam secarent; ministerio rāmen alienigeni eunuchi pro arbitrio uteban-tur. Erint igitur eunuchi eo plane loco, quo famuli a cubiculis, & a pedibus. Cum vero illis Regem conveniendi pro arbitrio facultas esset, ideo favore pollebant plurimum, nec raro servilem conditionem cum summa qua-cunque dignitate mutabant. Deus Isaiæ ver-bis denunciat Ezechiæ commissurum se, ut posteri ipsius Regi Babylonis servire coacti in aula

aula illius eunuchos sese præstarent ; quod sa-
ne Principibus summo probro erat futurum ,
4. Reg. 20. 18. Isai. 39. 7. Nec sane eventus
sefellit oraçulum , namque Danielem, Ananiam,
Misaëlem, & Azariam ea conditione in aula
Babylonis ministrasse scimus. a) Eunicho Re-
gis Sedeciæ demandatum copiarum imperium
legimus , 4. Reg. 25. 19. quo etiam in loco de
famulis , qui steterant coram Rege , mentio oc-
currit , nempe de eunuchis Regi a cubiculis.
In fœdere ab eo Rege inito cum Domino sub
eunte anno sabbatico , & undecimo ejusdem
Regis : Princeps Iuda , eunuchi , & sacerdo-
tes , & omnis populus terræ transferunt in-
ter divisiones vituli in sacrificium mactati ;
quod plane summam eunuchorum authorita-
tem , & potentiam demonstrat. Ita etiam Esth.
1. 10. describit præfectos Regi Assuero assisten-
tes , quo ad ejus nutum præsto essent. Tan-
dem ostiarii Principum , quos alios plane cre-
dimus a militibus præ foribus cum armis ex-
cubantibus , eunuchi appellantur.

Eunuchi igitur ostiarii , sive *liminaria*
ædium custodientes, juxta Hebræum, excubabant
potissimum præ foribus conclavis , sive cubicu-
li Regii , uti de ostiariis Aod Regis Moab legimus ,
Judic. 3. 24. Interdum virorum loco fœni-
næ substituebantur. Ita sicarii occasione capta
absentiæ ostiariæ emundando frumento occu-

patæ in conclave Isboseth filii Saul ingressi virum transfoderunt. a) Eunuchos præ foribus Holofernisi excubantes describit Judith 10. 18. in Græco, & 12. 6. & 4. 9. sicut & alios ante fores Assueri legas Esth. 2. 21. & 12. 1. Apud Herodotum l. 3. cap. 72. 78. consilium initum a septem conjuratis, ut clam in palatium irrepentes, necem Mago Persidis Tyranno inferrent, describitur, ubi non obscure milites præ foribus cum armis stantes ab ostiariis, vel eunuchis, seu, quemadmodum ille appellat, *eunuchis responsa jacentibus* distinguuntur. Nabuzardan Dux copiarum Nabuchodonosoris tres ostiarios Sedeciæ ad eundem Regem in Reblat verstantem destinavit, 4. Reg. 25. 18. Cur eunuchis custodiam suam committeret Cyrus, plura in *causa* fuiss. Xenophon Cyrop. lib. 7. commemorat; illud potissimum, quod scilicet a mulierum, & liberorum, quin etiam sæpe a parentum, furtivo enim connubio plures nati erant, cura liberi, toto dominos suos animi affectu prosequuntur, quos unicos fortunarum suarum authores cognoscerent. Adeo insuper humili loco natis superbos & ambitionatos spiritus defuisse. Tandem in servili corpore ingenuum manere animum exemplo animalium, quibus vigor etiam abscissis idem manet, Cyrus docebat.

Mi-

a) 2. Reg. 4. 5. 6. Vulg. & Graec.

Milites corporis, seu Regis, & Regiarum
ædium custodes, magis ingenuum, majorisque
momenti munus gerebant; quemadmodum &
de iis frequentior in Scriptura mentio.

Achis Rex Geth, David tutelam quærenti
1. Reg. 28. 2. *Ego, ait, custodem capitis mei
ponam te cunctis diebus.* In eum ordinem se-
ligebantur viri bellica virtute, tum & fide
præstantissimi; ita Abner Dux copiarum sub
Saule, idem pariter inter Regii corporis custo-
des adlectus erat, 1. Reg. 26. 15. Banajas
idem gessisse munus sub Davide a nonnullis
creditur, 2. Reg. 23. 23. quamquam enim Vul-
gata habet: *Fecit eum sibi David auricula-
rium a secretis, Hebreus tamen commode
reddi potest: In obsequium adduxit;* nempe
coram se statuit, ut ad nutum præsto esset.
Banajas Praefectus erat Cerethi, & Phelethi,
nempe custodum corporis Regii, 2. Reg. 20. 23.
Præter eas custodias, 24000. in singulos men-
ses destinati erant, ut Regi excubias agerent,
præstoque essent, si quid Rex imperaret, 1.
Paral. 27. 1. 2. &c. suis illis præfectus vir stren-
nuus, & e numero Heroum, quos bellici fa-
cinoris laus aliqua commendasset. Nihil ta-
men de iis militibus, nisi sub Davide, & Sa-
lomone; qui enim deinceps consecuti sunt
Reges, minoris gloriæ apparatu contenti,
eum facile numerum extenuasse credendi sunt.
Rex Josaphat plures milites sub manu, ut ait

Tex-

Textus, nempe sub signis Jerosolymis detinebat; quibus tamen non duodecim, sed quinque tantum viros præfecerat, 2. Paral. 17. 12. 14. & sequ. Salomonem domo prodeuntem 300. militum pompa comitabatur, a quibus, dum Rex ad templum iret, 300. aurei clypei, & 200. itidem aureæ hastæ ex armamentario Regio desumptæ, cum eundum esset, ibidemque depositæ, cum rediissent, a) deferebantur. b) Eundem & in numero militum, & clypearum apparatum Roboamus servavit; quamquam post direptos a Sesac clypeos aureos Salomonis, ille aureorum defectum æneis supplevit. c) Tandem in Cant. 3. 8. mentio occurrit de 60. *Fortibus* gladio accinctis, lectum sive thorum Salomonis custodientibus. Quid deinde in militibus aulæ custodibus apud Reges Judæos servaretur, insinuare potest Xenophon Cyropæd. lib. 7. milites custodes aulæ Persarum juxta Cyri Magni dispositiones describens. Præter eunuchos ostiarios, & milites interiorum conclaveum custodes, de quibus jam supra, manus erat 10000. Persarum, lanceis, sive jaculis instructa, quæ diurnas, nocturnasque excubias circa palatium agebat, lateri Regis, cum prodiret, adequitans. Illis Regio ærario suppeditabantur vestes, quantum fieri poterat, magnificentissimæ. d) Cum Rex in

a) 3. Reg. 10. 17. b) 3. Reg. 14. 28. c) Ibid. 26. 27. 28.
d) Vides und. l. 8. Cyropæd. pag. 213. &c.

in publicum procederet, hinc inde viarum latera longus equitum, peditumque ordo fulciebat, sed equites descensis equis stabant, manusque habebant extra manicas, pro certo in ea regione more. Accedebat præterea lictorum manus, flagellis instructa, qui plus nimio ad pompam accedentes, ordinemque turbantes, ictu flagrorum in ordinem cogebant. Quo autem passu Regius currus procederet, eo etiam ad latera 4000. milites custodes sequebantur. Succedebat his 300. aliorum militum turma bacillis instructa, quos excepiebant 2000. hastati, totumque deinde agmen cladebant quatuor Persarum equitum cohortes singulæ 10000. Persis equitibus constantes, præter alias etiam cohortes externalium gentium, tam pedestres, quam equestres.

Secessisse Salomonem singulis diebus in amœnam quandam domum, fontibus, lucisque ornatam, & in pomœrio extra Jerosolymam sitam, Joseph. Antiq. lib. 8. cap. 2. est author. Procedentem autem comitabatur manus 20000. equitum, non insignibus tantum, magnique pretii equis spectanda, sed etiam multo elegantior scita corporis habitudine, atque flore juventæ, qua singuli sessores præstabant. Quid vestes? singuli Tyria purpura nitebant, coma promissa luxuriabantur, cui fulgorem addebar inspersus aureus pulvis, radios Solis longe, lateque reverberans. Armorum loco geitabant

bant spicula , ea specie , quasi ad jaculandum
semper instructi.

Hisce militibus, Regem comitantibus , no-
men plerumque *Præcurorum* tribuitur , quod
illis ex agilitate inditum credo , vel forte quod
ad nutum Regis ejus iussiones deferrent, quem-
admodum etiam nostra ætate de *Haiducis* Prin-
cipum Germaniæ ferunt. Samuel jus Regis
exponens Israëlitis , cogendos ab eo filios il-
lorum denunciat , ut ibi præcurorum obse-
quium præstarent, 1. Reg. 8. 2. Eodem nomi-
ne appellatos milites custodes Saulis scimus; a)
eodem milites Absalonem , b) & Adoniam, c)
tanquam post patris obitum Reges futuros ho-
noris gratia comitantes. Roboamus confari-
æneos clypeos jussit pro ducibus præcurso-
rum suorum , cæterisque aulæ excubias agen-
tibus. d) Tandem conclavia militum custodum
conclavia præcurorum e) appellantur. Præ-
cursores illi sub Ezechia per singulas urbes
discurrebant Regis edicta, quibus singuli ad
festum Paschæ , & ad templum Domini invi-
tarentur, deferentes, 2. Paral. 30. 10.

Nunc tandem ad præfectos militares He-
bræorum accedamus. *Princeps militiæ*, quem
nos Imperatorem appellaremus , secundus a
Rege copiis præerat. Munus illud sub Saule
gessit Abner , 1. Reg. 17. 55. sub Davide Joab,
2. Reg.

a) 1. Reg. 12. 17. Vulg. Emissarii. b) 2. Reg. 15. 1. c) 3.
Reg. 1. 5. d) 3. Reg. 14. 27. e) Ibid. vers. 28.

2. Reg. 8. 16. sub Salomone Banajas. 1. Paral. 11.
 6. & 3. Reg. 4. 4. Eodem nomine solent Hebræi designare duces externarum copiarum; ita de Sisara Principe copiarum Jabin legitur 1. Reg. 12. 9. & Sobac Principe exercitus Adarezer Regis Syriæ 2. Reg. 10. 16. Legitur etiam nomen Naaman ducis copiarum Damascenarum; 3. Reg. 2. 32. Nabuzardani militum Nabuchodonosoris Magni, 4. Reg. 25. 11. & Holofernis copiarum alterius Nabuchodonosoris, Judith 2. 4. Omnes regni copiæ in expeditionem procedentes, præfectis hisce parebant; militibus enim Principis custodibus suos fuisse peculiares duces, ex iis, quæ de regno Davidis & Salomonis legimus, satis intinuatur. Illis enim rerum potentibus aderant 12. duces copiarum, singuli 24000. militum manum sub signis habentes, ut pro suo quique mense ministraret; sui etiam duces erant militibus Cerethi, & Phelethi, alii plane a Joab & Bannaja, a) copiarum sub Davide, & Salomone imperatoribus.

Principes vectigalium sive singuli provinciæ ordines ducebant. Appellantur interdum Principes patrum, sive familiarum, Principes Israël, 1. Paral. 28. 1. & 27. 16. Non inviti credimus subjectas illis tanquam peculiaribus ducibus singulas Tribus, quas per secundarios ministros agebant; norant enim illi singulorum

a) 1. Paral. 27.

lorum meritum , & virtutem ; nec aliter melius castrorum disciplina constare potuisset ; cum duces supremi singulorum militum, quos nunquam in obsequiis habuissent , nosse meritum , nisi ab iis ducibus instruerentur , non possent. Hos facile duces , & tribunos insinuatos credimus 1. Paral. 25. 1. cum in exercitu David memorantur *Magistratus exercitus* (juxta versionem S. Hieronymi) quorum magistratum ope Rex ordines ministrorum in obsequium templi direxit. Porro Principes isti tribuum in bello duces , in pace vero præfetos , & magistratus Principis tam in rebus sacris , quam politicis gerebant.

Chiliarchæ , seu mille militum præfecti , vel tribuni , centuriones , præfectique 50. virorum , Schalischim sive tertiani , ac tandem decuriones , munera erant supremo duce inferiora. Totus exercitus in Tribus distinguebatur ; viri enim singularum Tribuum cum militarem ætatem attigissent , bello adscripti arma ferre cogebantur. Tribus variis cohortibus ex 1000. militibus constabant , familiarum & urbium , quantum fieri poterat , distinctione servata ; cohortes tribuno ex eadem urbe seu familia lecto parebant , cui secundi erant præfecti , de quibus jam supra. Unaquæque vero militum manus plerumque 50. non excedebat. Hujus rei documentum exhibent duces illi , qui assumpta 50. militum manu semel & iterum

ad

ad Eliam venerunt, a) ut virum ad Regem Ochoziam deducerent. De Schalischim, sive tertianis satis egimus ad Exod. 14. 7. quorum munus, licet bellicum fuisse apud Hebræos & Egyptios constet, quid potissimum fuerit, nuspiciam appareret. Horum omnium ducum nomina legimus Exod. 19. 25. & Deut. 1. 15. quæ post longam temporum successionem adhuc man-
sisse ex 1. Macch. 3. 55. intelligimus.

Apud Persas præter imperatores noti sunt duces 10000. duces 1000. centuriones, & decuriones. Porro centuriones suos, & decuriones dux quisque decem millium legebat, referente Herodoto l. 7. c. 81.

Fuse jam actum de *scribis exercitus*, b) qui copiarum, & præfectorum Regis censum servabant; addit etiam aliud eorum munus Scriptura 2. Paral. 8. 10. & 26. 11. qui probabant tyrones de populo terræ; quod ego dictum crediderim, non quasi per imitamenta belli recens adlectos milites instruerent; sed quasi in singulis Tribubus & urbibus Israël, quos maxime ad bellum cogerent, quos vero sacramento solverent, judicarent; positum enim erat in moribus ejus ætatis, ut ad militiam etiam invitatos cogerent. Sive igitur Princeps universis subjectis sibi populis bellum impetraret, sive parti tantum, semper milites lege-

re ad scribas pro sua singulos forte pertinebat. Quare munus scribarum maximi erat momenti. Horum præfectorum nomina sub Regibus Juda & Israel merentium pleraque leguntur in Sacra Scriptura. a) Nec ignotum erat munus in aula veterum Persarum, apud quos honoris insigne baculus, sive sceptrum a scribis geritabatur. b)

Cum Rex ipse per se bellum gereret, pedester olim veluti quidam e vulgo miles procedebat, cui ad latera aderant armigeri Regia arma deferentes. David, victoriæ de Goliath relatæ merito, armigeri munus apud Saulem geiſit, 1. Reg. 14. 21. Suus etiam armiger Abimelecho filio Gedeonis, Judic. 9. 54. Jonathæ, 1. Reg. 14. 21. Joabo, 2. Reg. 23. 37. & 1. Paral. 10. 4. & apud Philisthæos Goliath, 1. Reg. 17. 7. Meminit etiam Scriptura decem armigerorum Joab, 2. Reg. 18. 15. Sed postquam Reges consenserunt curru in bella procedere mos obtinuit, nulla deinceps armigerorum mentio: unus tantum currus vacuuus præsto euntibus aderat, quem, si quid sinistri accideret, statim concenderent.

Soterim præfecti erant, quorum nomina, & munus, dum Hebræi in Ægypto versarentur, nota erant, c) Servavit & Moyses in deserto, ut illi super commissas sibi turmas au-

tho-

a) Vide Comment. in Judic. 5. 14. pag. 75. & 76. b) Vide Judic. 5. 14. in Hebr. & Grac. c) Exod. 5. 6. 10.

thoritatem, potestatemque suam exercent. Fulius ea de re egimus Deut. 1. 15. & Josue 1. 10. Judicis etiam interdum munere fungebantur, interdum caduceatoris, præconis, & lictoris. Sui erant *Soterim* in templo, 1. Paral. 23. 4. & 26. 29. & in aula, 1. Paral. 27. 1. quorum postremi sub ordinum ductoribus, & centurionibus merebant. Ita servatum intelligimus in manu 24000. virorum, singulis mensibus Salomonis ministrantium. Plerumque adjunctos legimus scribis vel *Soterim*, 2. Paral. 26. 11. Copiæ Oziae Regis Juda erant sub manu *Zebiel scribæ*, & *Maasie doctoris* (Hebr. *Soter*, quod idem est ac *Soterim*) sub manu *Hananiæ*, qui erat de *Ducibus Regis*. Ex quo conjectura facilis dicitur *Soterim* viros fuisse amplissimos, quorum dignitas non iisdem prorsus limitibus terminaretur. Idem etiam insinuat Salomon Prov. 6. 7. ubi de formica ait: *Cum non habeat ducem, nec præceptorem* (*Soterim*) *nec principem, parat in æstate cibum sibi &c.*

Non invitus crediderim milites Cyri, quos Xenophon A) flagellis, bacillis, vel hastis instructos inducit, ipsos fuisse *Soterim*. Memorant etiam itineraria inter præfectos aulæ Persarum schateres, sive Chateres. B) Tandem præcones Principum in obsidione Trojæ

K. 2

ver-

A) Xenophon lib. 7. Cyropæd. pag. 314. & pag. 315. B) Tavernier Tom. I. cap. 5. pag. 356. & lib. 4.

versantium ipsos referebant Soterim Scripturæ, quo nomine facile designantur præfecti, qui Principibus semper præsto adsunt, ut ad nutum pareant. His porro, tanquam ministris Superum, hominumque, honorem cæteri deferebant, a) & illos tangere, seu violare omnibus nefas. Illis disponendarum in prælium copiarum, illis iussionum Principum, sive ducum referendarum munus commissum. b) Ministrabant, cum solemnia sacrificia offerrentur, victimas prope altare adducebant, vina in libationibus miscebant, & aquam, cum Reges lavarent, affundebant.

a) *Vide Iliad. A.* b) *Iliad. Ps.*

DISSERTATIO

De regionibus, in quas decem Tribus Israël traductæ sunt, & quem potissimum locum nostra ætate teneant.

Nihil in historia frequentius, quam gentis universæ in alios mores, sermonem, religionem, foedera, ac regiones transmigratio; ita ut vix aliquid de priori cultu retinentes ipsæ suos fallant inventores. Magna imperia minora absboruerunt, & inclyti illi debellatores populorum, quos Dei providentis latens consilium identidem suscitavit, rapido quodam victiarum impetu per-

pro-

provincias discurrentes, obvia quæque in torrentis modum ita rapiebant, ut in varias distractæ partes, dissociatæque gentes, & populi alio alii traducerentur. Factum etiam, ut plures fortunam, religionem, & linguam vicitoris, vel saltem mores ejus gentis, ad quas impetu victoriæ ferebantur, secutæ, pristinum cultum omnem abjicerent. Raræ sunt in orbe gentes, quas idem fortunæ casus non jactaverit: sed nullum æque ejus rei magis illustre documentum, quam decem Tribuum, de quibus impræsentiarum, exhibitum fuisse arbitror.

Regnum igitur decem Tribuum post varias, qua externorum, qua intestinorum bellorum vicissitudines, & calamitates tandem ultimum excidium diu ante Divinis oraculis prænuntiatum expertum est; coactique solum vertere, vacuas sedes gentibus Transeuropratæis reliquerunt. Raro quidem Deus ita punit, quin simul rigorem plurima lenitate temperet; & vix unquam contingit, ut primo statim flagelli iictu miserios conficiat. Pro insito ergo ingenio Deus minoribus flagellis summæ ultiōni prælusit. Theglatphalassar Rex Assyriæ ab Achaz Rege Juda invitatus in ditionem Phacee Regis Israël fudit, a quo belli impetu fortissimæ urbes, Syriæ latera spectantes, raptæ, deductæque in captivitatem Tribus Neptali, a) Ruben, Gad, & dimidia Manasse,

quæ Transjordanam regionem tenebant, in Lahela, Habor, & Hara translatæ sunt, i. Paral. 5. 26.

Post annos 20. ab ea expeditione, circa A. M. 3283. Salmanasar, qui proxime illi Regi successit, ducto in Samariam exercitu, post triennii obsidionem, capta urbe populos omnes infelicis regni residuos in Transeuphratæa traduxit, sedesque illis in Assyria assignavit *Hala Habor regionem juxta fluvium Gozan, & civitates Medorum, 4. Reg. 17. 6. & 18. 10.* Nunc igitur certus harum regionum situs definiendus est.

Animadvertisse opere pretium est, eundem locum devictis Tribubus assignasse Salmanasarem, quo olim priores illas Theglatphasar transtulerat. Nomen quidem *Hara* in secunda transmigratione deest, in qua vicissim legitur de urbibus Medorum, nuspiam in prima notatum. *Lakela, & Hale* idem sunt nomen, & Gozan locus erat Chabor, sive Chaboræ plane contiguus.

Hale, sive *Lahela* eundem esse locum credimus ac *Hevila*, de quo Genes. 2. 11. nempe Colchidem, cuius incolas, quod circumisionem admiserint, originem ab Ægypto referre Herod. lib. 2. cap. 104. autumavit. Cur non eodem argumento potius Hebræi origine probarentur, cum illis tantum ex universis orbis gentibus circumcisionis præceptum lege indispex-

spensabili positum sit ? Nec a vero abludit, Colchos circumcisionem admittentes cum Israëlitis decem Tribuum confundendos, quod etiam censemus de Syris, Cappadocibus, & superiora amnis Thermodoontis tenentibus, circumcisionem admittentibus, a) utpote qui colonia essent Israëlitarum Colchidis, sive juxta Chaboram non longe a Cappadocia incolentium. Ad illos facile Israëlitas Cappadoces epistolam suam S. Petrus dedit : b) *Advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ.* Nota sunt etiam in Mesopotamia nomina *Chalonitidis provinciæ*; & in Syria septentrionali occurrit provincia *Calacinæ*, quæ sane voces non absurde ex *Chale*, sive *Lachela* deducerentur.

Habor, sive *Chabor* nomen est amnem Chaboram in Scriptura, & apud prophanos notissimum referens. Sunt etiam ejusdem nominis ad orientem Ninive montes ; influens enim in Euphratem Chaboras, e monte Masio (cujus facile portiones erant montes Chabores, apud Ptolemæum) defluit. Perluit amnis provinciam Gozan juxta 4. Reg. 18. 2. c) cuius nominis regio versus Tigridis fontes porrigitur. Plinio lib. 6. cap. 27. dicitur *Elegozina*, ac si diceretur Elonii Goza. Aliibi vero idem Plinius lib. 6. cap. 26. Elonios statuit prope montes Gordios. Meminit Pto-

K 4

le-

a) Herodot. ibidem. b) 1. Petri 1. 1. c) 4. Reg. 18. 2. m
Habor flaviis Gozan. & 4. Reg. 17. 6. In *Habor, juxta fluvium Gozan.*

lemæus Gauzanitidis in Mesopotamia ; & regionem *Goetan* (ita appellat) Constantinus Porphyrogenitus in minori Armenia collocat. Est etiam regio Gauzan in Media inter amnes Cyrum, & Cambysem. Rabbini nomine Gozan designatum credunt fabulis non minus, quam nomine celebrem amnem Sabbaticum, qui ex India non longe a fontibus Gangis, supra Calchas originem suam refert. Hunc amnem venditant magno impetu tota hebdomada provolvi, cum interim sive arens inersque, vel saltem tacitis aquis die Sabbati quiescat, obsitasque habet eadem die igne ripas, ne quis unquam accedere audeat. Benjamin Tudelen sis Gozan in Media statuit, quatridui itinere ab Hemdam. Quo etiam loco Ptolemæus urbem Gauzaniam constituit. Ita de hoc argumento variant scriptores, quamquam ab iis, quas inquirimus, regionibus nemo multum aberret. *Hara*, sive *Ara* altera est regio Israëlitis decem Tribuum assignata. Hunc locum in Media constituendum ex eo suspicamur, quod 1. Paral. 5. 26. legitur *Ara*, cuius loco in 4. Reg. 17. 6. est *Civitates Medorum*. Porro Aræi populi sunt Mediæ apud geographos, & *Aria* provincia Persidis terminatur ad septentrionem Bactrorum, & Margianorum regione; quare in veteri Media facile continebatur, vel saltem Medis regio illa paruit. Hebræum *Har* sonat mons, & Septuaginta in textu Regum red-

reddunt montes, quo loco nos legimus *Civitatis Medorum*. Amos deducendos Israëlitas in captivitatem ultra montes Armeniae minitatur: *Projiciemini in Armon, dicit Dominus.* a) Talmudistæ fratres suos in Media collocant, in cuius montibus 50. urbes ab Israëlitis cultas Benjamin Tudelensis recenset. b) Judæos nonnullos sedes circa montes Caspios habentes Esdras, c) ut secum in Judæam regredarentur, invitavit. Scitum est autem montes illos, authore Ptolemæo, Medium, & Parthiam interjacere. Ex Tobiae 1. 11. & 3. 7. 5. 8. frequentes esse Israëlitas in Assyria, Perside, Susiana, Ninive, Rages Medorum, Susis, & Ecbatanis intelligimus. Quibus olim limitibus Media terminaretur, incertum; & nomina *Civitates Medorum* designare non incongrue regionem crederentur, quam olim Assyriæ Reges pulsis Medis subegerunt.

Captasse Assyrios occasionem Anarchiæ inter obitum Arbacis, & initium a Dejoce Rengum, quo scilicet intervallo occupatam olim a Medis regionem suam vindicarent, autumat Usserius ad A. 3283.

Universam Tribum Nephtali una secum Ninive traductam Tobias 1. 11. 16. testatur. Ezechiel oracula fundebat juxta flumen Chaboram, Ezech. 1. 2. Mardochæus, & Esther

K 5 Susis

a) Amos 4. 3. Hebr. נָסַת הַרְמֹנוֹת נָאֵם יְהוָה
b) Bereschit. Rabb. Seet. 33. c) 1. Esdr. 8. 16. 17.

Susis morabantur ; & universæ imperii Assyriæ regiones Judæis frequentabantur , Esth. 3. 8. Frequentabantur autem post solutam captivitatem ; ut ex eo facilis conjectura ducatur , Judæos illos ad decem Tribus spectasse, admixtis etiam nonnullis ex Juda , & Benjamin. JESU Christi ætate per totum late orientem Israëlitæ dispergebantur, Act. 2. 9. 10. 11. ita Persidem, Medianam, Elamitudem, Mesopotamiam, Cappadociam, Pontum, Asiam, Phrygiā, Pamphyliam, Ægyptum, Cyrenaicam, insulam Cretam, & Arabiam tenebant ; undique enim ex his regionibus Judæi Jerosolymam ad festum Pentecostes , quod post JESU Christi resurrectionem proxime successit , convenerant. Eos vero omnes ad Tribum Juda , & Benjamin spectasse , nemo rerum peritus dixerit ; pluries enim Israëlitæ avitam religionem resumpserunt , & templum etiam ante captivitatem adibant. S. Petrus epistolam primam canonicanam dirigit ad Judæos dispersos in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia ; & S. Jacobus alteram dedit ad duodecim Tribus dispersionis. a) Josephus decem illas Tribus sua adhuc ætate in provinciis Transeuropatæis numero hominum floruisse plurimum testatur, Antiq. lib. 11. cap. 5. addens insuper, solas Tribus Juda , & Benjamin ex universa Judæorum gente tam in Asia, quam in Europa,

Ro-

Romanis parere. Floruisse etiam in toto oriente, Bithynia, & imperio Persarum Philo in Legat. ad Cajum testatur. S. Hieronymus in Ezech. 23. init. author est, sua adhuc ætate decem Tribus captivas in montibus, & urbibus Mediæ, olim in sedes assignatis, manere; quod ille ex traditione Judæorum, & Christianorum suæ ætatis afferuisse credendus est.

Author lib. 4. Esdræ cap. 13. 41. &c. vir plane Christianus, quiue juxta opinionem Judæorum ætatis suæ scribebat, deductos a Salmansare Judæos in Transcœphratæa narrat. Cum vero (ait) inter gentes medias versari se cernerent, consilium religione sua plane dignum suscepserunt; ne quid enim corruptiōnis ex eorum commercio contraherent, in novas terras secedere, novasque sibi procurare sedes in regionibus plane desertis moliti sunt; quo scilicet nihil de lege, & religione periclitarentur. Tantum profecto legis studium suspiciosum est in populo cultu vituli infami, quiue sceleris sui merito pristinas sedes amiserat. Sed hæc ultro scriptori concedamus. Religiosus ergo populus (ait ille) vada Jordanis sicco pede per angustos plane canales transgressus, cum Dominus annis aquas prodigio in arctum redigisset, post longas viarum ambages, exactumque itineris annum, & semis, tandem Arseret pervenerunt. Eo loci sedes fixere nunquam amplius revellendas,

do-

donec ab Altissimo revocati , per Euphratis vada eodem prodigo pervia reducerentur. Negotium est modo , quid per regionem *Arseret* designetur.

Nota est ad ostium Araxis ad mare Caspium urbs *Arsarat* ; a) sicut etiam *Arzerie* , & *Arzice* in minori Armenia ; ac tandem provincia *Arzanena* in Mesopotamia. Sed loca illa minus distant , quam anni & semis itinere ab Euphrate , sive regione illa , quo decem Tribus primum jussu Salmanasaris deductæ sunt. Notior est etiam & frequentior adhuc ante hunc Principem regio. Nos tamen nullam aliam regionem Arzaret uspiam audivimus. Non ita Judæi , quibus ea sedet opinio , hodie etiam decem Tribus in incognita , & inaccessibili regione perseverare , vel faltem per orbis faciem dispersas periisse. Celebratissimus Josippon lib. 2. cap. 10. quem virum postremæ Jerosolymorum obsidioni coævum jaçtant , narrat Alexandrum Magnum cum manu 1300. militum transitum *montium tenebri- corum* , regionem illam ab omnibus aliis disterminantium , tentasse , quo scilicet ad terram filiorum Jonathan , & Bechal pervaderet ; ab incepto tamen desistere coactum subita clamantis voce , ne aditum in domum Dei moliretur. Felicior seu potius audacior Alejandro Benjamin Tudelensis , qui iter suum per

a) Etalem. lib. 1. pag. 135.

per septentrionalem plagam instituens, post 21. dierum viam tandem ad regnum Rechabitarum pervenit. Regio erat 16. dierum itinere porrecta, urbibus frequentissima, quarum exacte historiam describit: omnia geographis, atque iter facientibus incognita. Sed neque Benjamin, neque alii Rabbini, omnes Tribus in eo a confortio hominum remotissimo loco versari sibi persuadent.

Secretis ab historia quarti Esdræ fabellis, cæterisque cum veritate non plane congruentibus, sententia authoris facile apparet; insinuat enim urbem Arseret Israëlitis frequenter maxime. Neque rerum peritum latet nostra etiam ætate in Media pro 100. familiis Iudeorum vix 40. Christianorum respondere, ejusque gentis frequentissimas sedes potissimum secundum mare Caspium ad usque radices Caucasi spectari; ac tandem Reges Mengreliae originem suam ad Davidem referre. A) Eadem venditabant veteres Reges Georgiæ, sicut & Reges Imirettæ. Nec temere illi prorsus; namque Julius Africanus apud Syncellum refert, Artaxerxem Ochum confecta expeditione sua in Ægyptum, plures Iudeos captivos secum abduxisse, quorum alios collocaverit in Hyrcania ad mare Caspium, alios in Babyloniam, juxta ac plures Græci authores memoriae prodiderunt. Gemina habet Paulus Orosius lib.

A) Chardin. Voyag. de Persie.

lib. 31. cap. 7. addens sua etiam aetate Israeli-tas eadem loca numero hominum valde fre-quentes tenere, unde educi se tandem sperant. Ex his facile Judæis Hyrcanis Reges Georgiæ originem suam retulerunt. Verum nihil hæc Judæis decem Tribuum favent, cum Judæi su-periora maris Caspii tenentes ex eorum fuerint numero, quos Cyrus liberos in Judæam remiserat, quique excusso tandem servitutis jugo, hoc in caput suum infortunium provocarunt; infortunium inquam, a Josepho prætermissum, quamquam alioqui certissimum videtur, cum Josephus ipse in primo contra Appionem, locum ex Hecatæo Abderita laudet, ubi Judæi frequenti numero in Babyloniam captivi a Per-sis deducti leguntur, quod vix aliter, quam de expeditione Ochi, intelligi potuisset.

Allatius, & Grotius in 4. Reg. nomine *Chabbor*, & *Chalah* designatam credunt Iberiam, & Colchidem. Fullerus Miscell. 2. cap. 5. *Gelas* ad Araxem & *Cadusios* originem a Judæis retulisse ex nominis etymo demonstrat. *Gelæ* sonat advenas, & *Cadusii* Sanctos; *Arseret* reddi potest *urbs refugii*. De circumcisione Col-chorum satis supra egimus. Apud Plin. lib. 6. cap. 27. legimus, parvam quamdam regionem Armenia versus *Palæstinam*, sive *Calæsti-nam*, & urbem *Sabbatam*, sive *Sabbaticam* appellatam. Tandem Esdræ A) testimonio di-scimus,

scimus, montes Caspios Judæorum sedes fuisse; & vaticinio Amos 4. 3. transferendos ultra montes Armon, sive Armeniæ Judæos prædictum est. Berodus Rex Persicis Nephtalites a) sive Eutalites, b) populum finitimum Medisque foederatum bello affixit. Huic genti peculiaris Rex imperabat, regionemque jam inde a multis saeculis tenebat; nec defunt, qui reliquias illas crediderint Judæorum Tribus Nephtali. c) Author historiæ scholasticæ in Esther 5. & Vincentius Bellovacensis in Specul. hist. lib. 3. c. 89. narrant, Alexandrum Magnum parte regionis Israëlitæ decem Tribuum multatos intra montes Caspios inclusisse. Omnia hæc loca, populique, neque Arseret excepta, sive intra Mediām, sive finitima jacent; ibique Israëlitarum decem Tribuum vestigia præ cæteris altius servata fuisse fatendum est.

In eadem regione constituendum credimus regnum Cozar, Rabbinorum scriptis celebratissimum, quamquam illi, pro insito gentis ingenio omnia in majus efferendi, fabellisque narrationem suam inferciendi, in fabulam veram historiam transformarunt. Narrant igitur, Regem Cozar Judaicæ religioni, octavo Christianæ æræ saeculo, nomen suum addixisse, nihil moratum sive Christianam, sive Mahometanam, sive naturalem philosophorum religionem,

a) Agathias lib. 4. b) Procop. de bello Persico lib. 1. cap. 3.
e) Schikard. Tarich. pag. 130.

nem, quamquam sedula discussione singulas illas in examen ante revocasset. a) Quod maxime in ea historia negotium facit, illud est, nimirum ubinam potissimum regnum Cozar statuatur. Alii collocandum malunt in Tartaria, alii ab eadem provincia lingua maris interjecta disterminant. Urbs ejus Metropolis Togorma sita est in montibus Arazat, ait Judæus quidam, qui 18. dierum mora regnum illud lustrasse se asseverabat. Alii vero totum illud regnum genio ludendi a Rabbinis fabricatum, nullibi locorum, nisi in vacua errantium mente collocandum censem. Nos tamen, si veritatis aliquid in fabella fuerit, ad litus meridionale maris Caspii, & intra Mediam constitueremus. Mare Caspium Arabibus est *Cusar*, nos vero ad Genef. 2. 13. ostendimus regionem *Cos*, vel *Cusch* ipsam esse *Araxenen*. *Coschir*, sive *Cosri* potest urbem *Chuschi* designare. R. Petachia, quem laudavimus, Tartariam a Cozar interjecta maris lingua disterminat, additque regnum, intra duo maria definitum, septem ingentibus fluminibus perlui, ejusque Metropolim in montibus Arazat constituit. Inepte ille quidem; sed ejus descrip^{tio} nulli locorum magis, quam Mediæ, & Iberiæ quadrat.

Ex his regionibus Israëlitæ in Tartariam migrarunt, ubi alta adeo vestigia decem Tribuum

a) An. 740. circiter. Vide Pashag. Histoire des Juifs l. 7. c. 1. a. 5°

buum supersunt, ut doctissimorum quorumdam
judicio nostra etiam ætate decem Tribus eum
locum tenuisse credantur. a) Exinde censem
derivatos Judæos in Russiam, Moscoviam, Po-
loniam, Lithuania, quas regiones crebrio-
res, quam alibi uspiam in Europa Judæi fre-
quentant. Plures manent apud Tartaros re-
cepti ex Judæis mores; quique ex illis duce
Cingi e regione sua profecti anno 1200. im-
perium Magni Cham constituerunt, circumci-
sionem, etiam ante adoptatam Mahometanam
superstitionem, admittebant. Polygamia apud
illos obtinet, & si forte vir conjugé adhuc
sterili obierit, defuncti frater, sive propin-
quior fuscitare semen fratris sui cogitur. A
Suillis abstinent, & circumcisione nono æta-
tis anno initiantur. b) Legimus apud Daviti,
c) Regem Thabor in Tartaria, Francisco I.
regnante, in Galliam venisse eo consilio, ut
Regi Judaicam superstitionem persuaderet; pa-
ria cum Carolo V. cæterisque Europæ Principi-
bus præstiterat; nullo itinerum, laborumque
suorum fructu, nisi quod male exceptus ab om-
nibus, temeritatis suæ pœnas reportaverit.

Manasse Ben - Israël d) celebris postremi
sæculi Rabbinus obviis manibus opinionem de
transitu decem Tribuum in Tartariam excepit,

Catnet Differt. T. IV.

L simul-

a) Philipp. Mornæus de verit. relig. Christ. cap. 26. Geneb.
Chron. author religion. mundi, Tom. 2. b) Itinerar. ex Euro-
pa Lutetiam 1698. c) Etats du Turc en Asie pag. 124. & 168.
d) Vide Pâsnage Hist. des Juifs tom. 4. cap. 3. lib. 6.

simulque constitutum apud se habuit, provinciam Thabor, quam ille in finibus Mediæ collocat, ipsam esse Chabor, quo transmigrare coactos Israëlitas in libris Regum legimus. E Tartaria vero ad Sinas fratres suos dedit. Ortelius in sua Tartaria, sive tabula 62. regnum Arseret, de quo in 4. Esdræ, intra Tartariam collocat. Decem tribus (ait ille) Scytharum eadem loca incolentium sedes occuparunt, indito sibi novo *Gautheorum* nomine, quo eorum studium pro Dei gloria designaretur; totique regioni nomen Cathai mansit. Celebris ille geographus statuit in Tartaria Nephtalitas, sive Ephtalitas. Dacas vero sive Danos, Tartaros Septentrionales, ex Tribu Dan nomen suum derivasse arbitratur. Tandem regnum Thabor in meditullio Tartariæ collocat; *Thabor* enim in Hebræo sonat *umbilicum*, sive *meditullium*; ipsumque etiam Tartarorum nomen, quod pronunciandum *Totares*, id est: Presbyter, contendit, ex Hebræo accersit. Postellus authorem Armenum transcriperat, a) qui transmigrasse in Tartariam Israëlitas docuerat; cuius authoritas ipsum Postellum in eandem sententiam pertraxit.

Author recentior, qui sententiam hanc de transmigratione Israëlitarum in Tartariam ad

ad examen revocaverat, a) solidis rationibus illam refutandam aggressus, demonstrat, numquam id committere potuisse Israëlitas, ut suscepta in Scytha expeditione easdem gentes, sive Tartaros delerent. Gens enim illa idolatriæ cultui usque adeo addicta permanxit, donec ejus sacris ejuratis, ad Mahometanam religionem deficeret, cum qua & circumcisionem, cæterosque Judaicos ritus Mahometanis communes susceperunt. Nomina Eutalitæ, sive *Ephetalitæ*, & *Dani* levissimo sunt pro Tribubus Nephtali, & Dan argumento, nisi majora alia documenta accesserint. Ego quidem negare non ausim Israëlitarum non-nulos in Tartariam, quod facile poterant, migrasse; vix enim crediderim gentem longe, lateque per universam orbis faciem dispersam, solam Tartariam intactam reliquisse: non nisi tamen per summam impudentiam assertetur, decem Tribus plerunque intra Tartariæ fines contineri, ibique rerum nostra etiam ætate potiri.

E Tartaria facilis in Sinas transitus, unde migrasse plures familias e decem Tribubus, superato muro, utramque ditionem distingnante, hujus opinionis assertores contendunt. Nonnullas Judæorum synagogas ibidem constitutas invenisse se P. Riccius testatur; addens retineri ab illis Israëlitarum nomen, quamvis

L 2

Ju-

a) Pasnag. hist. Tom. 4. lib. 6. cap. 3. art. 15.

Judæorum ignorent. Ex quo facilis conjectura, e decem Tribubus, non e Juda, originem illos duxisse. Servant volumen legis line punctis vocalibus, ante 600. annos scriptum. Hébræus, quo idem pater utebatur, narrabat, in urbe Hamcher metropoli Chequiam plures erectas esse synagogas, sicut & Israëlitis locum frequentari plurimum. Quam Hebræus ille ignorabat Scripturam Hebraicam, longa desuetudine eo studii genere neglecto, ejus frater callebat, cui synagogæ administratio demandabatur. Notat ille pariter historiam veteris Testamenti, maxime Abrahæmi, Judith, & Esther; exhibitumque a P. Riccio virginis simulacrum, quod Liæ uxoris Jacob per simulationem dixit, supplex pro voluntus adoravit. Jesuita alter a) nomine Gozani, invenisse aliam synagogam in Honan provincia Sinarum testatus, deductos in regionem Judæos ante JESUM Christum autumat. Norant illi Esdram, & JESUM filium Sidrach (authorem Ecclesiastici credo) eandemque in suis interpretationibus servabant methodum, ac Talmudistæ. Hæc omnia minus cum Israëlitis decem Tribuum e Tartaria in Sinas derivatis, quam cum Judæis e regno Persidis in eam regionem diu antea digressis quadrant.

Ex-

Extat prolixior epistola Judæorum Coquinensium ad synagogam Amstelodamensem ,^{a)} qua venisse se ad Indos perhibent , quo tempore Romanorum armis Palæstina occupata est . Narrant insuper Judæos mille annorum spatio ita apud Sinas floruisse , ut 22. Reges continuata successione numerarent . Cum vero duo fratres de regno inter se disputarent , oborto inter illos dissidio , ea divisione Judæorum viribus in partes distractis , finitimi Reges , motis in illos armis , gentem subegerunt ; quorum deinde jugum semper ad id usque passi sunt . Cum vero novis dominis inviolabili fide , & obsequio semper paruissent , ejus virtutis merito plurimum apud eas gentes æstimationis , & laudis sibi conciliarunt ; ut anno 1640. Samuel quidam ex eorum fratribus , præfecturam Coquinensem potitus , obierit , muneri que sui & nominis successorem Judæum alterum reliquerit . Manaïse filius Israël , ^{b)} persuasus Israëlitas frequentissimos apud Sinas versari , vaticinium illis Isaiae 49. 12. vindicat , quo scilicet oraculo Hebræi redituri in avitas sedes de *terra Australi* (Hebr. טְהֵר מִצְרָיִם) nempe ut ipse quidem interpretatur , e regione Sinarum , perhibentur . Sed Hebræus author ignorare non debuit , vocem *Sin* Hebraice lutum sonare ; & Prochartus scite demonstravit urbem Pelusium ex lutoſo

I. 3

ſitu

^{a)} Pasnag. Tom. 5. lib. 7. cap. 33. ^{b)} In libro de spe Israël.

situ olim *Sin* appellatam; ex quo etiam derivatum nomen *Pelusium*, cum græce *Pelos* lumen sonet.

Hæc omnia satis quidem demonstrant, Si-
nas nonnullis synagogis Judæorum, & Israë-
litarum frequentari. Quid ergo? an proinde
decem Tribus, sive omnes, sive potissima il-
larum pars ad Sinas migrarunt? Profecto eo-
dem argumento demonstraretur Persidem, Ger-
maniam, Turcarum ditionem ipsas fuisse Israë-
litarum sedes, cum plures ibi, quam apud Si-
nas synagogæ spectentur. Modo, quæ de tran-
situ earum in Americam feruntur, in examen
revocanda.

R. Menasse, de quo supra, neque unicus
est, nec primus, qui Americanas terras ab
Israëlitis frequentatas autumaverit. Grotius
de orig. gent. Americ. pluribus scriptoribus
eam stetisse sententiam testatur, ut Israëlitas
decem Tribuum primum in Medium, ac deinde
in Tartariam, demum ad Americanas regio-
nes deduxerint. Id autem sibi jure asseren-
dum arbitrantur, ex quo mores nonnullos Ju-
daicos Americanis innotuisse compererint. Sed
Grotio infirmior ea argumentandi ratio vide-
tur, quam ut sententiam suffragio suo fulcien-
dam censuerit. Montesinus in sua narratione
ad Menasse, deprehendisse se narrat non in-
frequentem Judæorum in populū collecto-
rum turbam post montes Cordilleras, regio-
nem

nem Chily in America terminantes. Cum enim (ait ille) in eam regionem aliquanto altius penetrassem, amnis occurrit, e cuius ripa dato signo statim prodeentes e latebris offendit viros quam plurimos, Hebraice pronunciantes illud Deuter. 5. 1. *Audi Israël, Dominus Deus noster ipse est Dominus.* Norrant Abrahami, Isaac, & Jacob nomina, quos viros tamquam patres suos suspiciebant, genus suum ad Ruben referentes : deductos se in eam regionem speciali quodam Dei consilio, nec sine prodigiis testabantur; cum vero Indos naucti fuissent adversarios, accidit tandem, ut ipsos persecutores suos in manus Hispanorum lapsos ultio confequeretur. Addebat magorum instigatione semel, iterum, & tertio bello afflictos fuisse, in quo tamen cum hostibus congressi, fusis illis disipatisque, insignem victoriam reportarint ; ex magis vero quicunque ultionem evitassent, veritate tandem coactos fuisse, ut Deum Israëlis solum esse Numen, addictamque illi gentem tandem in exitu saeculorum universum late orbem imperio suo subacturam faterentur. Hæc Montesini narratio, quæ pura putaque fabella videtur, Menassi imposuit ; & cum ita natura comparatum sit, ut dulci rerum, quas maxime optamus, spe nos ipsos & decipiamus frequenter, & aliorum deceptionem amemus ; blanda rerum specie ob oculos Hebræi observante,

librum suum de *spe Israël* dictavit, in quo tamquam certum constituit, Asiam olim, & Americam jugi continentis tractu continuari, quas deinde Deus sinu Aniani interjecto disternitarit. Ante eam divisionem (ait) Judæi in Americam migrantes, sedes ibi suas adversus veteres regionis incolas munierunt. Nec desunt authori Scripturæ in rem suam testimonia. *Isaias cap. 51. 5. Me (Dominum) insulæ exspectabunt ; & 42. 4. Legem ejus insulæ exspectabunt ; Insulæ Judæos-exspectantis nomen Americanum designat.*

Eques Pen in sua epistola de præsenti statu regionum Anglicanarum in America, inventisse se Judæos in ea regione sibi persuadet ex eo potissimum, quod incolarum vultus, maxime puerorum, Hebræorum ora adeo refert, ut quicunque illos intueretur, Judæos se vidisse crederet. Computum suum per Lunas instituunt, primitias fructuum offerunt, festum Tabernaculis simile celebrant ; altare erigunt ex 12. lapidibus ; funus lugent in annum. Fœminarum mores Judæarum exprimunt ; sermone utuntur virili, conciso, vivo, brevi, non redundant, quali & Hebræi, quorum unum verbum pro tribus valet, cum reliqua audientes per se suppleant.

Tradunt insuper, obtinere apud Mexicanos circumcisionem, a) floruisse olim apud illos

a) *Vide, si libet, Acostam, & alios Rer. American. scriptores. Huet. demonstr. prop. 4. &c. Pasnag. hist. des Juifs.*

illos gigantes; diluvii ideam aliquam servare, quamvis ejus historia varie a variis narretur. Eductos se jactitant e pelago, quod de transfretatione maris Idumææ dictum intelligendum est. Solemne est etiam alicubi in regno Peruano, ut niveus agnus mactetur, ejusque cruore farina subiecta in populum distribuatur, e qua in domorum liminaribus sanguinea impressa nota piantur. Sunt qui & resurrectionem probent, perpetuum ignem in cultum Domini servent, annum Jubilæi post quinque annorum decades, & Sabbatum post evolutos sex dies, colant. Solent pariter Caraibæ clamore vocis, aliisque lætitiae significationibus innovatae in singulos menses Lunæ plaudere; a suilla abstinere; & apud Peruanos sacrificiis quibusdam agnus, ritu ab Hebræis non assimili, immolatur. Mulieres, menstruo incommodo affectæ, a virorum interim commercio abstinent. Incolæ Machoæ contactu cadaveris sordem contractam aqua eluunt. Nec defunct apud illos, quibus post mortem fratri conjugium cum uxore ipsius lege præceptum est. Connubiales etiam leges apud Peruanos fere similes ac apud Hebræos vigent, cum de fratre agitur, fuscitare semen fratri suo recusante. a) Mos est apud illos, ut fœmina calceamenta sposo inducat; & fœminæ mox a puerperio impuræ censentur. Tanta morum,

legum, & sententiarum consonantia de industria inducta, non casu accidisse videtur. Ex hoc autem apertissimo documento deducitur, Israëlitas in Americanas regiones penetrasse, sive per Sinas, sive per Tartariam, sive classe ex Hispania & Gallia devectos, juxta nonnullos Rabbinos, qui in eam sententiam laudant Abdiæ vers. 20. vaticinium, quo juxta Hebræam veritatem eorum patres exilio in Hispaniam (*Sepharat*) & in Galliam (*Sarphat*) depulsos, migraturos inde in regiones meridionales prædictum est; quas meridionales regiones Americanas illi quidem interpretantur.

A) Verum hæc argumenta, quo plus in specie, in re tanto minus habent soliditatis. Quibus enim in locis similes Hebræorum mores spectantur, plures etiam obtinent illis plane repugnantes. Ut aliquid in eam rem solidi adduceretur, monstranda esset integra gens, provincia, regio moribus, & cultu, quantum ab aliis omnibus plane discreta, tantum Israëlitas conjuncta. Quod enim alibi a suilla abstineant, alibi septimam quamque diem observent, alibi agnum mactent &c. id plane levius est, quam ut Americanorum origo ad Israëlitas referatur. Equis populus, si hæc valeant,

non

A) Vide in eam sententiam opus Gallicum de consonantia morum inter Indos orientales Judæosque, authore Domino de la C. Bruxell. 1704. in 12. sicut & Anglicum alterum de eodem argumento Thomæ Thorovvgood, aliasque nonnullos, apud Facitium Bibliograph. Antiquar. pag. 16. &c.

non Hebræam habeat originem? Quem, rogo, ostenderint in vastis illis regionibus terrarum tractum, ubi nomina Abraham, Isaac, & Jacob innotuerint; circumcisionis ritus generatim obtineat; ubi Scripturæ genus, & Hebræorum vernaculus sermo utcumque maneat; Sabatti observatio constanti & unanimi ritu vigeat? Hisce enim characteribus Judaicum genus ita exprimitur, ut ubicunque Hebræi fuerint, ibi statim ultro se prodat. Populus enim in ipsa depressione sua superbus, semper ab aliis se populis secernit, negatoque cum cæteris commercio, in unum cœtum coalescit. An simile aliquid in America deprehendere potuerunt, quicumque dubia Judaismi vestigia ibidem legerunt? Nec tamen negavero, sive affirmare ausim, Hebræos per totam late orbis faciem dispersos, gentem lucro inhiantem, sæpiusque ab avitis sedibus depulsam, fortunæ quodam jactu, seu potius Divinæ providentiae consilio parvo numero in Americanas regiones pervenisse, ibique temporis successu, cæteris admixtas, in idololatriam, cærerosque paganorum mores, elapsa originis linguae, & legis suæ memoria, transfire non potuisse.

Docet non obscure nec semel tantum Scriptura, a) Israëlitas decem Tribuum, post eversum regnum Samariæ in Ægyptum secessisse;

cum

a) Osee 8. 13. & 9. 3. & 11. 5.

cum nullum haberent alium sive commodiorum, sive tutiorem effugii locum. Erat enim regio Palæstinæ finitima; & Suam Regem Ægypti Israëlitis favisse par erat, si nulla alia impellente ratione, saltem quod Osee Rex Israël ejus partibus studuerit plurimum, consiliumque susceperebat, ut fœdus cum illo iniret, quo se a jugo Assyriorum subduceret, a) ejusque rei merito bellum Salmanasaris, unde ultimum excidium inductum, in caput suum provocaverat. Verum idem Propheta, ex quo secessisse in Ægyptum plures compertum habemus, b) gentem tamen universam in Transeuphratæa captivitatem tolerasse testatur; addens insuper, ex iis, qui in Ægyptum contenderant, plerosque misero lethi genere interiisse. c) Tandem vaticinatur, reliquias ejus gentis, quæcunque excidio supererat, ad propria tandem remeaturas; d) *Ipse (Dominus) rugiet, & avolabunt quasi aves ex Ægypto.* Frustra igitur in Ægypto reliquiæ decem Tribuum quærantur; quarum si plures in ea regione sub Regibus Ptolemæis deprehendantur, migrasse eo post obitum Alexandri Magni credendæ sunt. Hecatæo enim teste, post ejus Principis obitum plures Judæorum myriades ex Judæa in Ægyptum translatæ sunt. e)

Quæ-

a) 4. Reg. 17. 4. b) Osee 5. 13. & 8. 9. & 10. 6. & 11. 5, & 9. 3. c) Osee 9. 6. d) Osee 11. 11. e) Apud Joseph, contra App. lib. 1.

Quærendi sunt etiam Israëlitæ in Æthiopia , ubi jam inde a pluribus sæculis sedes suas habuerunt. Quicumque Reginam Sabam Je-
rosolymam ad invisendum Salomonem venien-
tem ex Æthiopia accersunt , illi ab ejusdem Re-
ginæ ætate Judæos in ea regione constituunt.
R. Eldad e Tribu Dan, author noni , sive juxta
alios decimi tertii sæculi, A) autumat , sub ipso
Jeroboami regno Tribum Dan in Æthiopiam
concessisse, initoque cum incolis fœdere ibidem
coaluisse. Eorum deinde vestigia Tribus Ne-
phtali, Gad, & Aser sequutas tradit ; quibus idem
Rabbinus accenset Tribum Moysis , cujus no-
minis , nisi si forte Tribus Levi designetur , quæ
alioqui numquam in eam regionem migravit ,
juxta ac pluribus Scripturæ , & historiæ Ju-
daicæ argumentis docemur , nullam fuisse con-
stat. Hæc Moysis Tribus , si Rabbinum au-
diamus , idolatriæ primum cultui addicta ,
cum tandem resipisset , superbas in ea regio-
ne ædes sibi parandas suscepit. Porro univer-
sis illis Judæis præerat e gente ipsa selectus
Rex , viribus potens , sub cuius signis ad nu-
tum stare potuisset exercitus 120000. equi-
tum , & 100000 peditum. Sed aniles fabel-
las omittamus , quo etiam amandanda sunt ab
eodem Rabbino tradita de tribu Issachar Per-
farum , & Medorum dominationi subiecta ; si-
c ut & de Zabulone , cujus sedes a montibus
Pha-

A) Vide Bartolocci Biblioth. Rabbinic. Tom. I. pag. 129.

Pharan adusque Euphratem porrigerentur. Nec meliorem fidem merentur, quæ apud illum legimus de Ruben retro post Pharan commorante, atque vernaculo Arabum sermone utente; de Ephraim, & dimidia Tribu Manasse in ulteriora ad meridiem penetrantibus; ac tandem de Simeone, & Juda in regno Chozar numero hominum, atque sibi vctigalibus 25. finitimijs Regibus florente. Hæc augendæ gentis gloriæ temere procula pro historiis venditantur, ut proinde diutius talia prosequentes lectorum patientia abuti videremur. Quod extra controversiam arbitror, illud est, nimirum plures hodie in Æthiopia Judæos versari, viros strenuos, & bellicosos, potentes adeo, ut elapsi sæculi dimidio eorum quidam regnum sibi modicæ regionis inter montes sitæ, & accessu difficilis usurpare tentaverit, quemadmodum ex duobus legatis Regis Æthiopiæ D. Bernier in aula Mogolis didicisse se refert. a) An vero Judæi illi ad decem Tribus spectent, non nisi temere assereretur; quin & illi suam ad Judam originem referunt, quanquam nulla fide. Constat autem alio, quam in Æthiopiam decem Tribus translatas a Salmanasare venisse.

Benjamin Tudelensis b) temere prorsus Tribus Ruben, Gad, & Manasse, in *Cabar* constituit, loco tridui itinere a *Tilimassa* distanti, ultra

a) Voyage de Karchemir Tom. 4. pag. 218. b) Benjamin Itiner. pag. 77. 81. & 87. Edit. Plantin. 1575.

ultra quem sequitur horrida quædam solitudo
18. dierum itinere porrecta. Dan, Zabulon,
Aser, Nephtali sedem habent secundum flu-
men *Gozan* in montibus *Nisbor*. Meminit
etiam montium *Hhaphton*, quos Israëlitarum
portio a Salmanasare translata occupaverat.
Fides harum rerum esto penes authorem;
cui si quis credere recusaverit, illi loca pe-
tere, ibique Tribus quærere licet; ductore ta-
men itineris perito opus est, seduloque prius
in tabulis geographicis quærenda *Cabar*, mon-
tes *Nisbor*, & *Hhapton*.

Olaus Rudbeckius, filius Cl. Rudbeckii au-
thoris Atlantici, in sua *Laponia illustrata* defen-
dit, non alio, quam in ultima septentrionali,
nempe in patria sua Laponia, quærendas de-
cem Tribuum reliquias, cuius opinionis gene-
rales quasdam adfert conjecturas, & ritus quo-
dam æque apud Judæos, Laponesque obti-
nentes. Quæ si valuerint, nulla non regio
decem illis Tribubus assignaretur. Legesis Vit-
sium dissertatione 2. qua probat Evangelium
non ante ad Americanos deductum, quam post
frequentatas eorum regiones ab Europæis.

Postquam igitur frustra quærendis decem
Tribubus sub his ducibus varia loca lustravi-
mus, nihil nisi sublesta fidei conjecturas na-
cti, hæc habemus, quæ ex itinere referamus.
Decem Tribus nulla habent certa in orbe loca,
quantum novimus, ubi simul omnes in unum
po-

populum coalescant; neque seorsum singulæ certam habent fixamque sedem, quam ita teneant, ut a cæteris distinctum populum constituant. Sed variis in locis, & regionibus, reliquias infelicis populi cernere licet, qui in varias dispersus partes, nec gentem amplius, nec populum ab aliis discretum efficit, juxta vaticinium Isai. 7. 8. *Desinet Epbraim esse populus.* Jacent ubique inglorii sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, temploque, nullo Sacerdotii, & Numinis honore, ut neque Iudæos amplius, neque paganos referant, juxta illud Osee 3. 4. *Dies multos sedebunt filii Israël sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, sine Altari, sine Ephod, sine Teraphim.* Frustra illi vanam potentiam, qua nunquam extra regionem suam præstiterunt, jactitant. Quos Reges, & Principes genti constitutos venditant, illi non nisi in errantium cerebro regnum, & authoritatem obtinuerunt. Jam inde a transmigratione ad nostram usque ætatem sine capite, & sine republica lacerati membra cadaveris disperguntur. Si quid autem in medio gentium, & variis jactatum persecutioribus, veteris populi spectrum mansit, id Divinæ providentiæ beneficio accepto referendum est, quæ populi sui miseratione tangitur, & infelicem populum illustre statuit documentum, sicut de veritate religionis, ita etiam de futura in refractarios ultione.

Dispersus tamen alioqui, & in aliarum gentium nomen, & corpus translatus populus, adhuc tamen altiora sui vestigia, simulque apertiora sui exhibet documenta in iis locis, quæ olim, tansferente Salmanasare, incolere coactus est, uti in Assyria, Media, Mesopotamia, ad Euphratem, & circumiacentibus regionibus. Jactas olim in eo solo radices, tam alte demisit gens Judæa, ut neque plures recurrentes vicissitudines, atque 24. sæculorum incursus nunquam extirpare annosam arborem potuerint. Exinde casu impellente ea late loca penetrarunt, in quibus nominis Israëlitici vestigia aliqua deprehendimus. Quanquam non ii simus, qui omnia ea loca Israëlitis decem Tribuum frequentari autumemus; potuit enim facile maxima illorum portio ex Judæis derivari. Tribus Juda, & Benjamin ita Judæam repetiisse ducibus Zorobabele, Esdra, & Nehemia leguntur, ut plures inter Assyrios remanerent. In censu populi apud Esdram minor sane populi numerus refertur, quam ut omnes duarum Tribuum populos complectatur. Quanta enim hominum turba per totam Assueri ditionem dispersa esset, ex lectio-
ne libri Esther satis intelligimus. Legimus etiam in historiis frequentissimam transmigrationem Judæorum, quam Artaxerxes Ochus post subactam Phœniciam, & Ægyptum imperperavit; quibus assignata Regio ad mare Ca-

spium, in Hyrcania, & Babylonia. A) Judæi Jerosolymitani Alexandrum Magnum rogarunt, ut liberum legis, & religionis exercitium permitteret Judæis Medium, & Babyloniam tenentibus. B)

Concessa quidem a Cyro Tribubus Juda, & Benjamin facultas in patriam remeandi; favor, quo universa Judæorum gens sub felici, & diuturno Assueri Regno per orientem fruebatur, conciliante illis gratiam Esther Regis conjugé, & Mardochæo, qui Regi proximus imperabat; ac tandem patriæ ubertas, quam Princis privilegia cumulabant; hæc simul omnia plures Israëlitarum, ut in Palæstinam redditum optarent, vehementer impellebant. Insitus est enim mortalibus omnibus in patriam amor; quo Hebræi, si quis aliis populus, tenebantur magis, utpote promissæ patribus suis terræ studentes. Hæc vero concessa duabus Tribubus facultas non angustis ita limitibus terminabatur, ut vel sub ejus nominis obtentu, vel quacunque tandem alia de causa ad cæteros non propagaretur. Id autem compendio suo Judas reputabat, si reliquas Tribus e servitute liberaret; in unum enim populum Judæis omnibus coalescentibus, quanto major populi turba regrediebatur, tanto viribus & potentia augendus fuerat; sicut vicissim majori mu-

A) Jul. African. apud Georg. Syncell. Oros. lib. 31. cap. 7. B)
Joseph. Antiq. lib. 11. cap. ult.

mumento se contra Samaritanos veteres regionis occupatores tueretur. Serviendum erat insuper Divinæ providentiæ consiliis, quibus ita disponendæ res fuerunt, ut vaticiniis Prophetarum non obscure, nec semel redditum decem Tribuum prænunciantibus, sua fides constaret. Quomodo etiam JESUS Christus fidem universo Israëli annunciare potuisset, si in Judæam veniente illo, insignis ejus gentis portio alibi versaretur? Nonne debuisset Christus, qui missum se ad oves, quæ perierant domus Israël, profitebatur, a) remotas illas regiones adire, quo scilicet miseris illis gentibus, & in umbra mortis versantibus lætum exortæ lucis nuncium afferret? Nonne ita Apostolos egisse, ac locutos scimus, ac si cum omnibus Judæis rem habere se persuaderentur? Nonne in eam sententiam vaticinia de Ephraim, b) Nephtali, & Zabulon c) exposuerunt, quasi scilicet singulas eas Tribus avitas hæreditates tenere persuaderentur?

His omnibus gemina opponunt. 1. De redditu in patriam decem Tribuum nihil satis expressum uspiam in Scriptura legi. 2. Decem eas Tribus adhuc in dispersione manere compertum esse. Quibus ego respondeo: 1. Nuspiam in Scriptura quidem ejus rei historia legitur; nuspiam etiam apparet edictum aliquod Regum Chaldaeorum, sive Persarum hanc po-

a) Matth. 10. 6. b) Matth. 2. 18. c) Matth. 4. 13. 15.

pulo facultatem indulgens. Sed ejus rei defectum supplent non obscura Prophetarum oracula , a) quibus de reditu illorum, quemadmodum & de Juda, nihil ambigendum relinquitur. Nec tamen Israëlitæ omnes decem Tribuum in Palæstinam rediisse contendimus, quemadmodum nec ex Juda, & Benjamin omnes sub Zorobabele, Esdra, & Nehemia avitas sedes repetierunt. 2. Potuit sensim, & per turmas populus rediisse, ut nulla satis frequens transmigratio in annales referenda contigerit. 3. Id potissimum ad Alexandrum Magnum referri potest, a quo, referente Josepho, Judæis omnibus concessa facultas avitas sedes repetendi. b) 4. Non levibus argumentis docemur, JESU Christi, & Apostolorum ætate Judæam omnium Tribuum Hebræis frequentari.

Iis, quæ secundo loco objiciebant, ita respondeo, ut argumentum in adversarios regeram. Compertum tenemus post Cyri, & Darii Regnum non infrequentes e Tribubus Juda, & Benjamin in Judæos per omnem late Europam, Asiam, & Ægyptum vagatos; quid ergo? An sub Zorobabele, Esdra, & Nehemia Tribus illæ Judæam non repetierunt? Plus nimio, vel nihil argumentum probat. Quod nostræ opinioni de illo invidia creetur, nihil est; poterant enim Israëlitæ decem Tribuum ma-

a) Vide Osee 2. 10. & 11. 10. 11. 12. Ezech. 4. 6. & 37. & 38. & 39. Amos 9. 4. &c. b) Joseph. lib. 1. contra App.

magno numero rediisse, pluribus aliis relictis.
Leviori brachio hæc attigimus, peculiari dis-
sertatione alibi discutienda.

DISSERTATIO

In Tertium Librum Esdræ.

 Uo postremi Esdræ nomine inscripti libri, communi Ecclesiæ Latinæ consensu nostra ætate inter apogrypha rejiciuntur. Remota tamen adeo antiquitate præstant, atque a Patribus Ecclesiæ adeo frequenter laudantur, ut eorum de illis opinionem in examen revocare operæ pretium duixerimus, adjecta insuper disquisitione de auctore, tempore scripti operis, & de iis, quæ majoris momenti in historia occurrunt.

De tertii Esdræ authoritate Ecclesia Græca a Latina discrepat; Græci enim eodem venerationis gradu, quo duos priores, rccipiunt. Exemplaria Græca vetustissima & probatissima, veluti Romanum, ita seriem librorum constituunt, ut primo loco tertium librum Esdræ præferant, secundus Nehemiæ, tertius primo Esdræ locus datur. Alter quidem ordo in nonnullis Græcis editionibus servatur,
A) ut tertius Esdræ seorsum positus sit post canticum trium puerorum in fornace, & ante

M 3

Sa-

A) Editio Græca Francofurti an. 1597. & Basileensi. an. 1545.

Sapientiam Salomonis ; in aliis itidem Græcis idem liber omnino desideratur. a) Verum extra controversiam positum est, juxta ac Sixtus Senensis lib. 4. animadvertisit, Patres Græcos tertium Esdræ ante Nehemiam constitutum tanquam canonicum habuisse.

Neque magis ac apud Græcos in veteribus Mss. & editionibus latinis ea in re constat. In nonnullis Mss. b) priori Esdræ Nehemias, huic secundus Esdræ (ita, quem nos tertium, appellant) succedit ; in aliis tertius Esdræ omnino desideratur ; in aliis vetustioribus in nova editione S. Ambrosii c) laudatis, multo magis etiam a nostris editionibus recessum est. In vetustissimo Ms. S. Germani a Pratis post duos libros canonicos Esdræ una serie continuatos succedit historia trium custodum corporis Darii, & problema ab iis Regi propositum. Dein statim sequitur quartus Esdræ in hæc verba : *Incipit Liber Esdræ Prophetæ secundus*, cui post duo priora capita continuatur tertius Esdræ excepta historia trium custodum corporis Darii ; tum quartus Esdræ hoc titulo adscripto : *Liber Ezræ quartus : anno tricesimo ruinæ civitatis, eram in Babylone ego Salathiel, qui & Ezra*, ac deinceps ad finem usque. In alterum incidi notatum 773. in quo Esdræ quartus a capite tertio exorditur.

D.

a) Editio Aldi Venet. anno 1518. b) Manuscript. Monasterii S. Michael. in Lotharing. Item duo alia S. Germani. c) Admonit. in lib. Ambros. de bono mortis.

D. Faber Ludovici XIII. præceptor, quem librum Esdræ valde a prioribus discrepantem invenerat, cuius variantia ad Cardinalem Baronium censuit transmittenda. In veteribus Bibliis Latinis impressis plerumque tres libri Esdræ ordine adscribuntur; ita ut primo succedat liber Nehemiæ, ac deinde tertius, vel, ut nonnulla ferunt exemplaria, secundus Esdræ. Is ordo mansit usque ad Biblia Sixti V. ex quo tertium, & quartum extra ordinem canonicorum amandari visum est.

Apud Hebræos duo priores Esdræ, vel si mavis, primus Esdræ, & alter Nehemiæ unicum librum constituunt. Paria Græci servant; in eo tamen dissident, quod primus Esdræ in exemplaribus Græcis, & in pluribus Latinorum idem, qui apud nos tertius, constituatur. Eum ordinem Patres sequuntur, quemadmodum satis intelligimus ex Origene in fine Hom. 9. in Josue, Pseudo-Athanasio in synopsi, ex S. Augustino, a) & S. Cypriano, b) qui duo posteriores problema trium præfectorum Darii tanquam a vero Esdra descriptum laudant. Laudat & S. Athanasius, seu auhor synopsis, de quo nihil, quod miremur, cum recepta

M 4

fa-

a) August. lib. 18. de Civit. Dei cap. 36. *Nisi forte Esdras in eo Cœrium propbetaffe intelligendus est, quod inter juventes quosdam orta quæstione quid amplius valeret in rebus; cum Regem uans dixisset, alter vinum, tertius mulieres, idem tamen tertius veritatem super omnia demonstravit esse victricem.*

b) Epist. ad Pompejan. Apud Esdram veritas vincit.

satis apud Græcos opinio, & probatissima illorum, ac vetustissima exemplaria idem problema in primo libro legant. Legebat & Josephus historicus Antiq. lib. 11. cap. 2. omnium illorum Patrum vetustissimus; quare constitutum habeamus oportet, ante versionem S. Hieronymi tertium librum Esdræ in universa Ecclesia canonicum reputatum fuisse; cum exemplaria Græca, in quibus princeps locus ei libro datus, vel saltem Latina versio ex Græca, obtinerent. Cum vero Patres, & Concilia priorum sæculorum a) geminos libros Esdræ in canone recensent, id intelligamus oportet tum de primo Esdræ, & Nehemiæ in unum eundemque librum continuatis, & tertio Esdræ, quem ipsi priorem constituebant.

Solemne est etiam PP. Græcis b) & Latinis, c) ut tertium Esdræ contra hæreticos, & in afferendis fidei dogmatibus, ne cunctanter quidem laudent. Tandem cum liber iste nihil ferme contineat, quam historiam in primo libro narratam, paucis immutatis, adjecta tantum narratione problematis a tribus corporis custodibus Dario propositi, d) arduum plane videretur, ut ad apogrypha prorsus amandaretur opus, quod alioqui totius Ecclesiæ

a) Conc. Carrhag. 3. can. 47. Canon. Apostol. can. 83. Laodicens. can. ult. D. August. de doctr. Christ. lib. 2. cap. 8. Innoc. 1. Epist. 3. art. 7. b) Athan. orat. 3. contra Arianos. Justin. Martyr. Di-log. cum Tryphon. pag. 29. & alii passim. c) Aug. lib. 18. de Civit. cap. 36. Cyprian. ad Pompejan. d) 3. Esdr. 3. 4. 5.

sicæ Græcæ consensu probatum est. Ad hæc, nihil habet fidei, & bonis moribus absconum; & historiam problematis suffragio suo tanquam veram assertamque recipiunt Patres, & vetustissimi plures, ac recentiores scriptores Ecclesiastici. Hæc omnia Genebrardo persuaserunt, ut pro authoritate ejus libri admittentur. a) Hebræi quidem e censu primorum canonorum librum abjudicant, simul tamen inter *Deuterocanonicos* summo assensu recipiunt. Hæc in libri favorem congeri potuerunt.

Verum Ecclesiæ Latinæ authoritas opus rejecit, apogryphum pronuncians, quod satis esse censeo, ut de ejus authoritate quæstio insti-tui neutiquam possit. An forte Græcorum opinione, moribusque tanquam lege ducamur, præfertim repugnante Concilii Florentini sanctione, qua solis libro Esdræ, & Nehemiæ authoritas asseritur? Verum PP. plerique, qui librum tanquam canonicum laudaverunt, ignorare poterant, & facile etiam ignorarunt multo illum ab Hebræo textu discrepare; quæ si novissent, multo cautores fuissent, ne opus reciperent, toties professi, neminem se probare librum, quem canonis Hebraici authoritas respueret.

His rebus instructissimus Hieronymus de illo pronunciat Ep. ad Domnion. & Rogatian.

M 5

Nec

a) Genebrar. in Chronic. ad ann. 3730. pag. 95. 96.

Nec apogryphorum tertii, & quarti Esdræ somniis delectetur. Quidquid (addit ille) ab exemplaribus Judæorum abest, sive a 24. Seniorum authoritate non derivatur, id nobis reprobandum est. Si quis autem Septuaginta authoritatem opponat, tanta est in eorum exemplaribus varietas, ut corrupta illa, & fœde turbata satis demonstraret. Neque enim scripto tam vario, ac parum inter se constanti potest veritas illa rata & constans haberi: Nec potest utique afferi, quod diversum est. Agnoscit ergo S. Hieronymus tertium hunc librum a Græcis probari, ipse tamen tamquam a textus Hebraici fide aberrantem penitus rejicendum censet. Quando autem nulla alia suspicionis causa subesseret, invidiæ in illum creandæ satis haberetur problema Regi Dario propositum. Totam hanc historiam ad arbitrium conflictam, pluraque veritati historiæ Esdræ repugnantia continere infra demonstrabimus.

Quod ad authorem tertii Esdræ spectat, vetustissimum fuisse, quamvis ignotum, ex eo constat, quod Josephus, & vetera Græca exemplaria historiam problematis in eo libro relatam legant. Judæum Hellenistam credimus, qui fabellis plurimis adjectis, & Zorobabelis famam promovere, & lectorem rerum varietate pascere voluerit. Noluerim ego virum doli mali in iis, quæ addenda de suo censuit, accusare; potuit enim facile constanti apud suos

suos traditione acceptam historiæ Esdræ , ratum se nonnisi vera referre , fabellam hanc adjunxisse. Sed traditionibus hisce popularibus veritas non semper asserta ; quibus interdum veris rerum eventibus plurium fabellarum accessione authoritas detrahitur. Ita impræsentiarum accidisse reputandum est ; mendacium ultro se prodit, quemadmodum infra demonstrabimus ; & in eo sane author accusandus, qui multiplici veritatis dispendio fabellam suam afferuit , ne quis unquam fraudem subodoraretur.

Continet ergo liber descriptionem solemnis Paschatis sub Josia celebrati. A) Additur deinde ejus Principis obitus , & cæterorum post ipsum Regum usque ad eversionem Jerusalem historia. Hæc omnia e duobus postremis capitibus Paralip. derivata. Secundum caput refert historiam solutæ, Cyro authore, captivitatis Judaicæ , & vasorum sacrorum restitucionem , quantisque deinde conatibus hostes Judæorum templi ædificationem oppugnarint. Addit eorum ad Artaxerxem, & vicissim Principis ad illos epistolas. B) In tertio capite Darius Regio convivio excipit aulæ suæ optimates , Mediæ pariter , & Persidis magistratus , adjectis etiam præfectis 127. ditionis suæ proximis.

A) Esdr. i. convenit cum duobus postremis capp. Paralipp. B)
2. Caput usque ad vers. 14. idem est, ac primum cap. i. Esdræ ;
a vers. 14. usque, ad exitum convenit cum quarto primi Esdræ
vers. y. &c.

vinciarum. Cum vero Rex largiori cibo recreatus in somnum resolutus dormiret, tres corporis custodes excubias agentes, proposito problemate, constituto etiam victori præmio, quale a Rege traderetur, se invicem tentarunt. Quicunque enim (dicebant) ingenio vicerit, ille purpura vestietur, auro potabit, auro insuper quiescet, deductusque in curru magnifico, equis auro phaleratis, aureo pariter torque, & *Cydari*, nempe capitis integumento nonnisi honoratissimis concesso, ornabitur. Locus quin etiam illi erit sub Dario, & Regis necessarius appellabitur. Ea igitur spe deliniti singuli problema suum scriptum, annuloque obsignatum sub Regis cervicali deposuerunt. Alter ex illis tuebatur vinum esse omnium fortissimum; secundus Regem; tertius fœminas valere plurimum, veritatem tamen omnibus præstare affirmabat. Experrectus tandem Rex singulorum scripta tenuit.

Convocatis igitur omnibus aulæ optimatibus, & provinciarum præfectis, in eo cœtu lectum singulorum problema, tum stare singuli jussi, quid pro sua sententia afferrent, audituri. Primus pro vino differens ejus potentiam super mortalium mentes ostendit; vinum enim miseriarum sensum hebetat, voluptatem, lætitiam, animi vigorem, & liberalitatem conciliat, nec raro furorem incendit. Alter proxime succedens, potentiam Regis, mari æque

ac terris imperantis extulit, cuius nutu tremarent gentes, cuius armis fastigium suum montes demitterent, elatae turres & mœnia deprimerentur, omnia cœdibus, sanguine, & terrore replerentur; isque vicissim (adjecit) indulget, confirmat, sustentat. Subjectæ illi gentes laborum suorum tributa certatim afferrunt, hostes terrore prosternuntur, mundus universus in obsequium inclinatur.

Tertius successit Zorobabel, qui fœminarum potentiam pluribus commendavit; illis enim (inquit) subjecti vulgares æque ac Reges; illis pusilli æque ac summi quique viri originem suam ferunt accepto; ac tandem quicumque vineam colunt, vinumque potant, nunquam sine fœminis vitam tolerare potuissent. Unde vestes & pretiosa quæque ornamenta? Nonne homines deserto patre, amicis, & patria fœminæ adhærent? Mulierum beneficio feroce spiritus mitescunt; effrenes quique ad officium redeunt. Reges ipsi, quamvis alioqui omnibus dare jura noverint, ini quis quandoque a fœmina, quam depereunt, haberi se ferunt patienter. Vidi ego Apemam filiam Besaci, quæ dexteræ Regis assidens, ex ejus capite detractum diadema suo imposuit, Regemque ipsum læva manu blande percussit.

Verum (ait ille) quamvis fœmina potens, multo tamen muliercularum blanditiis potenter veritas, cui gentes omnes deferre, quam in-

invocare singuli noverunt. Cœlum veritati fausta appreccatur, terra timet, & colit. Vinum, Rex, mulieres possunt quandoque ad scelera & licentiam excurrere; incorrupta semper, æternumque manens veritas; nec enim tempora-ria virtute pollet, nec vicissitudinibus obnoxia. Nunquam illa alteri præ aliis favet injuste, semper in judiciis suis rectam æquitatis lancem servans. Ex illa vis, ex illa decor, ex illa omnium sæculorum potentia. *Benedictus fit Dominus veritatis.* Excepta summo auditorum plausu viri oratio, acclamantibus omnibus: *Magna sane veritatis vis.*

Tum Rex causæ victoriam differenti pro veritate adjudicavit; eumque non iis tantummodo, quæ sibi certantes spöonderant, præmiis cumulatum voluit, sed & quæcunque posceret, omnia se daturum pollicitus est. Tum Zorobabel, in genua provolutus, rogavit, ut in memoriam Darius reduceret votum, quo se olim, antequam regnum capesseret, obstrinxerat, restituendi scilicet templi, ab Idumæis (qua occasione urbs a Chaldæis expugnabatur) incendio vastati; sicut etiam remittendi vasa sacra, a Cyro, dum Babylone potiretur, Je-rosolymam ut referrentur destinata; id autem adjecit se cujusvis præmii loco recepturum. Supplicem complexus Darius, postulata omnia concessit. Præfectis provinciarum Trans-euphratæ jussionibus oneratis, ne gravius quid-

quidquam in Judæos auderent ; sed quietam regionis suæ possessionem , immunemque illis relinquerent ; quin & Idumæos urbes , quas olim occupaverant , vacuas illis remittere congerent ; curarent insuper , ut necessaria e Libano materia Jerosolymam subvehheretur ; quæcumque ad victimum , & vestes sacras Levitum , & ministrorum templi requirerentur , sufficerent , donec urbs , & templum perficerentur . Adjecit insuper , ut 20. talenta e Regiis proventibus quotannis ædificationi templi promovendæ penderentur , sicut & alia decem tolerandis impendiis jugis sacrificii , matutini scilicet , & vespertini . Ad hæc omnia esse voluit Judæis privilegium perpetuæ libertatis , tum & urbis metropolis restituendæ . His privilegiis auctus Zorobabel Jerosolymam veniens , nihil antiquius habuit , quam ut de omnibus Regiis provinciarum præfectos faceret certiores , eorumque præsidium compararet 42340 . Judæis , quos una secum , adjecta immensa captivorum multitudine , adduxerat . Hæc summa capp. 3. & 4. & 5. tertii Esdræ , simulque eorum , quæ pariter in toto libro majoris momenti occurrunt , eorumque tandem , in quibus potissimum a primo libro Esdræ tertius iste discrepat .

De univerſa hac trium corporis Regiū custodum historia hanc sententiam ferimus : Primo plurimum abhorret ab historia genuina
Esdræ

Esdræ in libris Hebræorum, & in exemplari-
bus canonicis relata. 2. Si Darius Judæos una
cum Zorobabele Jerosolymam remittens, Re-
gias pro illis literas ad præfectos Transeuphra-
tæos dedisset, nunquam illi interrogatum ve-
nissent Judæos, qua potestate restituendum
templum suscepissent? Nota illis Regia edi-
cta, quibus pariter impensas in idem opus
sufficere cogerentur. Cur etiam novam hanc
facultatem non obtendisset Zorobabel, a)
potius, quam veterem a Cyro datam? Con-
stituit etiam author reducendi in Judæam gen-
tiles suos, cum primum a Cyro facta est re-
grediendi facultas, ducem alterum fuisse a Zo-
robabele. Ecquem illum? Salmanasarem ni-
mirum Judææ præfectum. b) Hæc omnia per-
peram ad veritatem. c) 3. Altaris consecratio-
nem, atque restitutorum sacrificiorum epon-
cham cum ipso Zorobabelis reditu, secundo
Darii anno, componit, d) cum genuinus Es-
dras hæc omnia post septem menies sub ipso
Cyri Regno, ante intermissam templi ædifica-
tionem jussu Artaxerxis, facta commemorat. e)
4. Silet epistolas a præfectis Transeuphratæis
ad Darium datas, quibus permotus Rex quæri
in archiviis edicti Cyri pro Judæis exemplar
præcepit, eoque invento, intermissum opus re-
sumendum permisit. f) 5. Duo insuper author
fide

a) 1. Esdr. 5. 13. b) 3. Esdr. 2. 15. c) 1. Esdr. 1. d) 2.
Esdr. 5. 48. e) 1. Esdr. 3. 1. & 4. 13. f) 1. Esdr. 5. 6. & 6. 1. &c.

fide sua tantum certa narrat: primum Zorobabelem inter corporis Regii custodes Babylone versari, cum interim Jerosolymæ certo fuisse constet. A) Secundum nihilo meliori fide afferatum est, Darium ante initum Regnum restituendo templo Jerosolymitano voti religione se obstrinxisse. Quæ si veritati constarent, cur exaudi tabularia jussera, quo certior fieret de permissa a Cyro ejus rei facultate? 6. Darii beneficio concessam Judæis afferit ab oneribus omnibus immunitatem, cum alioqui tributorum accessione oppresos Hebræos 2. Esdræ 5. 4. & 9. 37. noverimus. 7. Nehemiam & Athersatam tanquam duos viros distinguit; B) cum alioqui Athersata non viri peculiare, sed officii, pincernæ nempe, c) quo Nehemias in aula Artaxerxis fungebatur, nomen sit. 8. Putidum est mendacium, secumque pugnat, quod ab authore afferitur de Zorobabele Darium rogante, ut Jerosolymam remitteret sacra vasa, olim ad eam rem a Cyro destinata. D) Quasi scilicet Cyrus nihil remisisset; cum alioqui oppositum apud Esdram, & etiam apud hujus libri authorem cap. 2. 11. 12. 13. 19. legatur. Idumæos invidia incensi templi, qua re ipsa liberandi videntur, onerat. E) 9. Omnem chro-nologiæ, rerumque gestarum ordinem turbat,

Catmet. Differt. T. IV.

N

VO-

A) 1. Esdr. 3. 2. B) 3. Esdr. 5. 40. C) *Vide* 2. Esdr. 8. 9. D) 3. Esdr. 4. 24. *Omnia vasa remittere, que separavit Cyrus, quando mactavit Babyloniam, & voluit ea remittere. Vide etiam vers. 57. E) 3. Esdr. 2. 45.*

volens singula in historia Esdræ relata colligere. Ad calcem postremi capitis rejicit historiam a) non nisi sub Nehemia, in cuius tantum libro relata est, consignandam. b) 10. Præsidium mille equitum Judæis a Dario assignatum narrat, quibus tutum illis iter Jerosolymam pararetur; quasi scilicet 5000. circiter hominum aliquid timendum fuisset. 11. Universæ tandem historiæ suæ fabulæ suspicionem creat, cum tres illos viros dignitates sibi destinasse refert; quasi scilicet necessitatem Regi imposituros, ut in problemate victorem constitutis ab illis prœmiis remuneraretur. Et quænam illa? Summa plane & excessiva: quid enim aliud sperare potuisset supremus aliquis exercitus Imperator post adjectas regno provincias, & confectam gloriosam aliquam expeditionem. Quæ deinde vera in libro referuntur, vel saltem quidquid verum & argumenti connexione constans est, totidem pene verbis e primo Esdræ derivatur, ut proinde ab eo referendo temperemus. Persuasum igitur habemus, authorem ejus libri Judæum aliquem Hellenistam habendum, qui historiæ problematis fidem conciliaturus, opportunum censuit, si textui veri Esdræ narrationem suam adnecteret. Cum vero majus esset, quam pro ejus viribus opus, in aperta mendacia identidem incidit, quod in causa fuit, cur jure merito-

a) 3. Esdr. 9. 37. &c seq. b) 2. Esdr. 8. 1. &c seq.

ritoque ab Ecclesia rejiceretur, textus Hebræi, cuius apud Hebræos usus, & veterum exemplarium Græcorum fidem secuta, in quibus nihil tale legitur.

DISSERTATIO

In Quartum Librum Esdræ.

DE quarto Esdræ non eadem sedet omnibus sententia. Ecclesia ejus verba in Ecclesiasticis officiis usurpans probasse visa est. Introitus feriæ tertiae Pentecostes ex 4. Esdræ 2. 36. 37. derivatus est: *Accipite jucunditatem gloriæ vestræ --- Com mendatum donum accipite, & jucundamini, gratias agentes ei, qui vos ad cœlestia Regna vocavit.* Et in officio Paschali Martyrum: *Lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporum.* 4. Esdræ 2. 35. Et: *Hi sunt, qui mortalem tunicam deposuerunt -- modo coronantur, & accipiunt palmam.* 4. Esdr. 2. 45.

S. Barnabas Ep. c. 21. hæc verba tanquam authoris sacri laudat: *Et quando hæc consummabuntur? & dicit Dominus: cum lignum inclinatum fuerit, & resurrexerit, & cum de ligno sanguis stillaverit.* Eo spectare pariter S. Joannes Apoc. 6. 9. visus est: *Vidi sub altare animas interfectorum propter verbum*

Dei . . . & clamabant voce magna , dicentes : usquequo Domine , sanctus , & verus , non judicas , & non vindicas sanguinem nostrum ? Confer hæc Apostoli verba cum 4. Esdræ 4. 35. Nonne de his interrogaverunt animæ iustorum in promptuariis suis , dicentes : usquequo spero sic ? Et quando veniet fructus areæ mercedis nostræ ? Facilius tamen crediderim , non Apostolum ab Esdra , sed Esdram ab Apostolo spectatum fuisse.

Veteres PP. Græci & Latini non sine addito elogio authoris Divino Spiritu afflati, idem opus laudarunt. S. Ambrosius de bono mortis cap. 10. n. 45. sententiam ex eo , tanquam ex libris Esdræ derivatam ideo se laudare protestatur , ut intelligant pagani , quæcumque habeant in libris suis probata , nostris libris debere. Et cap. 11. n. 51. sequutum Apostolum dicit non Platonis , sed Esdræ Divino Spiritu afflati dogmata : Esdras (ait) multo superior philosophis omnibus habendus est. Pari emphasi opinionem suam exprimit de Spiritu Sancto l. 2. Orat. de obitu Satyri cap. 7. Epist. 38. ad Horontian. in qua lectionem ejus operis suadet , ut anima præstantioris esse , quam corpus naturæ intelligatur. Ubique Esdram non sine adjecto Sacri authoris elogio commemorat.

Tertullianus idem opus , sed nomine & elogio suppresso , tanquam Sacram Scripturam lau-

laudat. a) S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. Danielis vaticinium exponens, Esdræ testimonio utitur, quod tamen frustra in Esdra quæras. En autem ad literam: *In Esdra scriptum est: Et sic fuit Christus Rex, Dux Iudeorum, cum impletæ essent septem hebdomades in Ierusalem, & in sexaginta duabus hebdomadis quievit universa Iudea, & fuit absque bellis, & Dominus noster Christus Sanctus Sanctorum cum venisset, & visionem implesset, & Prophetam, in carne unctus est Patri sui Spiritu.* Eundem etiam scriptorem una cum Jeremia tanquam authoritate pares adducit Strom. lib. 4. ex 4. Esdræ 5. 35. Pseudo-Athanasius in synopsi hunc librum in recensendis canonicis præterit; illud tantummodo post laudatos duos alios Esdræ libros addens, memoriæ proditum esse, Esdram servasse, simulque in publicum protulisse libros Sacrae Scripturæ: quod tamen non ex sua, sed ex vulgi sententia, in nullo authentico libro expressa, retulisse videtur. Author operis imperfecti in Matthæum b) hæc habet: *Dicit enim Prophetæ Esdras, omnium Sanctorum numerum esse quasi coronam.*

N 3

Ea

a) Tertul. de Præscript. initio hæc citat: *Oculi Domini alti. ex 4. Esdr. 8. 20. & contra Marcion. lib. 4. illud: Loquere in aures audientium. ex 4. Esdr. 15. 1. Differt quidem aliquanto Vulgata, sed sententiam refinet. b) Author operis imperfecti in Matth. Hom. 34. ut videtur ex 4. Esdr. 5. 42. vel forte legendum Prophetæ Esaiæ ex Ii. 28. & 62. 3.*

Ea tandem sententia, quæ olim S. Cypriano, a) aliisque fedit, de imminenti mundi exitu, e quarto Esdræ tanquam canonico libro derivata fuisse videtur. Nec aliunde pariter accepta eorum sententia, qui Esdram dictasse iterum, & restaurasse Sacras Scripturas affirmarunt; b) neque enim alibi unquam, quam in libris Esdræ, paria leguntur. Genebrardus, qui opus illud vindicandum suscepit, c) author est a Pico Mirandulano servari Ms. Hebraice inter septuaginta duo de scientia rerum occultarum, quæ idem Esdras dictasse se profitetur. S. Hieronymus tertio, & quarto libris Esdræ alioquin infensor, ejus tamen autoritatem non penitus rejecisse videtur in libro adversus Helvid. *Sive Mosen volueris authorem Pentateuchi, sive Esdram ejusdem instauratorem, non recuso.* His potissimum rationum momentis hujus operis autoritas fulcitur.

His omnibus unum tantum, sed peremptorium apponimus; nimirum Græcorūm, & Latinorum suffragio e canone excludi. Rejicit etiam author synopsis, rejiciunt Patres & Concilia, in quorum catalogo non nisi duo libri Esdræ commemorantur. Tandem Hieronymus stylo censorio duos postremos Esdræ con-

a) Cyprian. ad Demetrian. circa initium. *Vide, si placet, 4. Esdr. cap. 5.* b) Vide nostr. dissert. in idem argumentum. c) Vide Genebrard. in Chronol. lib. 1. ad ann. 3730. Et 4. Esdr. cap. 14. 46.

configit in præfatione ad libros canonicos ejusdem authoris; a) pariterque in opere adversus Vigilantium hæc habet: *Tu vigilans dormis, & dormiens scribis, & proponis librum apogryphum, qui sub nomine Esdræ a te, & a tui similibus legitur*; b) Addit deinde nunquam se idem opus legere acquievisse; cui enim bono librum ab Ecclesia reprobatum legendum suscepisset?

Nec parum ad eum reprobandum facit alta ejus libri apud Græcos oblivio, in quorum lingua nulla suppetunt ejusdem operis jam diu a pluribus annis exemplaria; quanquam aliqui a veteribus Patribus Græcis laudaretur; & Latinorum de illo incuria ex eo potissimum deducitur, quod raro in veteribus exemplaribus vetustisque Mss. occurrat. c) Hæc omnia non obscurò plane argumento demonstrant, plurium sæculorum eadem re sententiam; si quos autem veterum Esdræ nomen in errorem adduxit, is tamen error brevi correctus est.

Non semel Genebrardus in eo libro vindicando fallitur. Primo errat, cum apud Picum Hebraicum ejus libri exemplar servari tradit; laudat enim Picus Apolog. pag. 117. 118. tantummodo quartum Esdræ, cuius authoris Hebraicum exemplar 70. librorum de

N 4 scien-

a) Hieron. epist. ad Domnion. & Rogat. b) Laudaverat Vigilius testimonium ex 4. Esdr. 7. 36. 44. c) Rarissimum est in antiquis Mss. in Editionibus non ante Norimbergensem 1521. legitur.

scientia occulta , quos Esdras dictasse se profetetur , servare se tradit . Secundo minus apposite 72. libros recenset , ut congruant conficto ad arbitrium numero Patrum magnæ synagogæ , quorum dogmata Esdram totidem libris complexum fuisse narrat . Inter hos libros quartum Esdræ recenset ; quanquam ea de re nihil apud Picum , qui potius contrarium insinuat ; laudat enim idem opus , tanquam autoritatem conciliaturus suis libris de scientia occulta Hebræorum . Esto vero , inter eos libros suus locus quarto Esdræ assignetur : an proinde canonicum erit opus , & Divinum ? Qualenam judicium de Cabala , & scientia occulta Hebræorum feratur , planum est .

Nec minus a rejiciendo opere veritatis amatores impelleret , quod liber erroribus scateat . Animas Sanctorum in infernis detineri , quoadusque numero justorum absoluto dies judicii succedat , impiissime afferit . Posthac omnes animæ manumittendæ . a) Diem judicii coronæ sive annulo comparat , in quo nullum neque initium , neque exitus . Ita omnes simul animæ in felicitatem æternam recipientur ; priores æque ac postremæ omnes simul ingredientur , altera alteram ne gradu quidem præcedente . b) Bella fane capit is 6. commentatio , de creatis scilicet ab ipso mundi exordio duobus immanibus monstris , quorum alteri nomen

a) 4. Esdr. 4. 41. 42. b) Ibid. cap. 5. vers. 42-

men Henoch , alteri Leviathan. Cum autem ambo simul intra septimæ partis terræ spatum contineri non possent , Deus utroque segregato , Henoch in tractu terræ 1000. montibus frequenti collocavit ; Leviathan vero in mari constituit , ubi diligentí custodia asservatur , esca convivio Electorum tandem instituendo electa. Hæc de Rabbinorum traditione derivata constat. Sententiam hujus authoris de proxime imminente die judicii , sicut & de transmigratione decem Tribuum in regionem Arferet ; a) ac tandem de restauratione Sacra- rum Scripturarum authore Esdra , alibi ad- duximus

His omnibus accessionem errorum facit genealogia Esdræ in exordio operis deducta , quæ ab Aarone 19. generationibus digeritur , qua in re nec satis convenit cum tertio , b) nec cum primo c) Esdræ. Hæc inter utrumque opus discrepantia suspicionem nonnullis veterum induxit , utriusque authorem nomine qui- dem eundem , re tamen aliud fuisse. Vetus Ms. Abbatiae S. Germani hujus quarti libri authorem in exordio ejusdem libri , quod in impressis capite tertio legitur , d) hæc habet : *Anno tricesimo ruinæ civitatis eram in Ba- bylone ego Salathiel , qui & Ezras &c. Ve-*

N 5

rum

a) Vide nostram dissert. de regione , quo decem Tribus se-
recepunt. b) 3. Esdr. 8. 1. 2. c) 1. Esdr. 7. 1. 2. d) 4. Esdr.
3. 1. & 4. 1. A. M. 3446.

rum ejusdem operis author ipse se genuinum Esdram venditat in fronte capitinis primi, ubi genealogiam suam per Eleazarum filium Aaronis deducit.

Putido sane mendacio asserit, Deum populi sui nuper ex Ægypto eggressi rebus consulturnum, duas provincias Tyri, & Sidonis dissipasse; a) & paulo infra vers. 22. 23. *In deserto, ait, cum essetis in flumine Amorrhæo sitientes, & blasphemantes nomen meum, non ignem vobis pro blasphemis dedi; sed mittens lignum in aquam dulce feci flumen.* Semel & iterum meminit prodigii, cuius ne verbum quidem apud Moysem; nisi forte duo plane diversa ab illo confundi maluerimus; nempe correctum saporem aquarum in Mara paulo post eggrossum ex Ægypto *Exod. 15. 24. 25.* & alterum prodigium ad torrentem Arnon in finibus Amorrhæorum *Num. 21. 16.* in cap. 1. 39. duodecim Prophetas minores commemorat, quorum nonnulli, uti Aggæus, Zacharias, & Malachias, non nisi post exitum captivitatis munus suum exercuerunt; serius proinde, quam ut ab Esdra ad fidem adstruendam vaticinio, in eodem libro cap. 1. 39. expresso, laudari potuerint. Ordinem etiam in iis Prophetis recensendis Græcorum Bibliorum servat; diversum sane ab eo, quem in Hebraicis tenemus.

Hi-

a) 4. Esdr. 1. 11. *In oriente provinciarum duarum populos Tyri & Sidonis dissipavi.*

Historiam itineris sui, nescio cuius, ad mon-
tem Goreb A) instituit, quod sane ineundum,
nec ratio ulla suadebat; nec successus aliquis,
ut posteritati illius memoria consignaretur,
impellebat. Memoriam postremi judicii jam
imminentis pluries oggerit; uti cum ex duo-
decim portionibus, quibus totum sæculorum
tractum distinguit, decem & semis ætate sua,
& ante captivitatem elapsas jam insinuat, B) ex
quo, si exacte computus ducatur, quamcum-
que tandem tempora suppeditandi rationem ine-
amus, debuit sæculorum exitus jam inde a plu-
ribus sæculis adesse. Si forte vaticinari insti-
tuat, vel præterita jam, vel ab aliis Prophe-
tis prænunciata vatis supercilie pronunciat.
Ita aliis verbis, & sub allegoria aquilæ e mari
volitantis Danielis vaticinium ingerit. c) Quam
visionem suam his verbis, quæ per summam
impudentiam Deo attribuere non veretur, con-
cludit: *Aquilam, quam vidisti ascendentem de
mari, hoc est Regnum, quod visum est in vi-
sione Danieli fratri tuo.* Res erat plane non
difficilis rerum præteritarum oracula fundere,
& res antea gestas sub vaticiniorum specie in-
doctis obtrudere. Aliud etiam viri commen-
tum reputanda fuit ea, quæ de Arca Domini
a Chaldæis capta ibidem leguntur; d) cum a
communi Judæorum fato exemptam illam, &
in

A) 4. Esdr. II. 23. B) 4. Esdr. 14. II. 12. C) 4. Esdr. II. 8c
12. D) 4. Esdr. 10. 22. *Arca Testamenti nostri direpia est.*

in spelunca occultatam Jeremiæ Prophetæ cautione ex 2. Macch. 2. 4. constet.

Quod vero hujus authoris singulare ingenium est, errorem ipse suum prodit æque, & cum vera, & cum etiam a veritate aliena commemorat. Adeo in testimonio de adventu JESU Christi, ejusque obitu, & resurrectione ferendo sine ambagibus loquitur, ut, si forte a Judæis, sive paganis opus illud alicujus authoritatis haberetur, actum esset de illis. Tam etiam frequenter sententiæ Evangelicis pares recurrunt, ut alterutrum statuamus oportet, sive nimirum libri authorem ex Evangelio, vel ex illo Evangelium excerpisse. Ita exempli gratia ait : *Revelabitur Filius meus JESUS cum his, qui cum eo sunt, & jucundabuntur, qui relicti sunt in annis quadringentis. Et erit post annos hos, & morietur filius meus Christus, & omnes, qui spiramentum habent, homines. Et convertetur sæculum in antiquum silentium diebus septem, sicut in prioribus judiciis, ita ut nemo derelinquatur. Et erit post dies septem, & excitabitur, quod nondum vigilat, sæculum, & morietur corruptum : & terra reddet, quæ in ea dormiunt, & pulvis, qui in eo silentio habitant, & promptuaria reddent, quæ eis commendatæ sunt animæ. Et revelabitur Altissimus super sedem judicii, & pertransibunt miseriæ, & longanimitas congregabitur. Judicium autem solum*

Cum remanebit , veritas stabit , & fides convalescat. A) Dies enim judicii erit finis temporis hujus , & initium temporis futuræ immortalitatis. Et cap. 2. 34. Exspectate Pastorem vestrum , requiem æternitatis dabit vobis : quoniam in proximo est ille , qui in fine saeculi adveniet. Et de Martyribus ibid. 46. Et dixi Angelo : quis est , qui eis coronas imponebit , & palmas in manus tradit ? Et respondens dixit : Ipse est filius Dei , quem in saeculo confessi sunt. De gentium vocatione non semel ita loquitur , ut prophetiae omnis caligo abesse videatur. B) Paria de resurrectione mortuorum , c) & de peccato originis d) legas : O tu ! quid fecisti Adam ? Si enim tu peccasti , non est factus solius tuus casus , sed & noster , qui ex te advenimus. Sæpe verbis Evangelii apertissime prælusum , ut in illo cap. 2. 23. Dabo tibi primam sessionem in resurrectione mea. Et infra cap. 2. 26. Servos , quos tibi dedi , nemo ex eis interiet. Et de præcursoribus diei ultionis hæc legas c. 5. 9. Amici semetipos expugnabunt ; & cap. 6. 24. Debellant amici amicos ut inimici. Geminus etiam vias inducit , angustiorei illam , latiorrem alteram ; E) duodecim arbores fructibus onustas , & totidem fontes fluentes lacte , & melle , F) nempe duodecim Apostolos.

Est

A) 4. Esdr. 7. 28. 29. 30. & seq. Vide etiam , si lubet , cap. 8. 18. 20. 61. & 9. 2. & 3. 36. & 14. 10. 11. B) 4. Esdr. 1. 14. & 2. 9. 10. C) Ibid. v. 31. D) 4. Esdr. 7. 48. E) Ibid. 7. 18. F) Ibid. 2. 18.

Est igitur, cur hujus scripti authorem Christianum aliquem facile ex Judæo reputemus; qui reducere ad fidem Israëlitas JESÙ Christo repugnantes aggressus, opus illud sub emento Esdræ nomine, quo venerationem illi conciliaret, procudit. Ut enim a Judæo scriptum autumemus, persuadent plura in eo opere ex traditionibus Rabbinicis derivata; ut de Paradiſo terrestri ante mundum producto, a) de Angelo Domini cum Malachia confundendo, b) de Leviathan a Domino sub ipsum mundi exordium producto, c) & alia sexcenta hujus faporis. Viri fides, & pro Judæorum conversione studium ubique ultro se prodit. d) Quanquam a probæ fidei Christiano alienum videtur, simplicitatem & æquitatem Evangelii pari fraude doloque corrumpere, ut iis artibus Judæi ad saniorem mentem revocentur. Piæ illæ fraudes, salubrem decepto errorem ferentes, esto interdum permittantur; nunquam tamen nisi per summam audaciam, & contra præscriptas Christiano regulas id committeretur, ut conflictis ad arbitrium verbis Sanctus Spiritus locutus inducatur, & commentitia quædam oracula venditentur.

Credimus etiam non inviti, vixisse scriptorem furentibus adhuc primis in Christianos persecutionibus, cum de Martyribus, e) motisque in

a) 4. Esdr. 3. 6. b) 4. Esdr. 1. 40. c) 4. Esdr. 6. 49. 50.
d) Vide potissimum cap. 8. 15. &c. e) 4. Esdr. 2. 34. &c. &c. 6.
25. alibi.

in veræ fidei assertores persecutionibus sermonem habeat. Objectum sibi per visum hominem narrat cap. 13. 1. &c. e mari emergentem, qui mundi universi œconomia turbata, e quatuor cœli ventis adversarios in se provocabat. Sculpsit ille sibi impervium, & inaccessibilem montem, quo tutus ab adversario rum conatibus evasit; unde vero mons ille excisus prodierit, frustra indagatum est. Subeuntes adversarios suos vir ille oris halitu exsufflavit. Tum hominum turbam pacis amantem ad se invitavit. . . . *Ipse est, quem conservat Altissimus, qui per se ipsum liberavit creatuam suam.* . . . *Ecce dies veniunt, quando incipit Altissimus liberare eos, qui super terram sunt;* & alii alios cogitabunt debellare, civitas civitatem, locus locum, & gens adversus gentem, & Regnum adversus Regnum. *Ipse autem filius meus arguet, quæ adinvenerunt gentes.* Sermonem habet de bello quodam, & clade futura Judææ, multo quam quæ sub Chaldæis contigit, fædiori; A) ea occasione ait: *De ligno stillabit sanguis, & lapis dabit vocem suam, & populi commovebuntur, & regnabit, quem non sperabunt.* Quid hic author insinuet, sine glossa intelligimus. Extat locus iste, tanquam e Propheta aliquo relatus in epistola S. Barnabæ nomine scripta, quanquam sententia paulo a Vulgata discrepat:

Et

Et quando hæc consummabuntur ? & dicit Dominus : Cum lignum inclinatum fuerit , & resurrexerit , & cum de ligno sanguis stillaverit . Non inviti suspicamur fieri potuisse , ut epistolæ author , sicut & scriptor libri sub Esdræ nomine vulgati , ex uno eodemque fonte , scilicet vel ex opere quodam apogrypho , vel e traditione aliqua oraculum derivarint . Si quis contendat , scriptorem epistolæ ad locum 4. Esdræ spectasse , novum ille habebit argumentum adversus epistolæ sinceritatem , tanquam sub ementito Apostoli nomine procusæ ; vel faltem multo retrahenda illi erit ætas authoris libri 4. Esdræ , & cum initio , vel faltem di-midio secundi sæculi componenda . Porro author iste libri recentius , quam sub exitum secundi sæculi , nequaquam constituendus , ut-pote cuius opus legerint S. Irenæus , Tertullianus , S. Clemens Alexandrinus , & S. Cyprianus tertii sæculi scriptores .

D I S S E R T A T I O

An Esdras scripsérit , sive restauraverit Libros Sacros ?



I quarti Esdræ asserta haberetur in Ecclesia authoritas , nihil esset , quare honor restauratorum Sacrorum Bibliorum

bliorum Esdræ invideretur; apertior est enim ejus libri sententia, quam ut per ambages alio deflectatur. Accedit etiam consensus complurium Patrum, & Scriptorum Ecclesiasticorum, quibus una sedit sententia, libros omnes Veteris Testamenti ante captivitatem scriptos, cum incendio, sive ignoto alio casu periissent, Esdra Divino Spiritu afflato authore iterum scriptis mandatos fuisse. Cum vero prioris hujus sententiæ authoris fides sublesta sit in Ecclesia, nihil est, cur eorum, qui illum secuti sunt, suffragium alicujus momenti habeatur; quin etiam pernicioſæ ex illa consecutiones facile deducendæ in causa fuerunt, cur nos exemplum & authoritatem præstantissimorum Theologorum secuti, omnibus viribus refutandum commentum fuscipiamus. A)

Tres ejus rei sententiæ in vulgus feruntur. Prima tenet Esdram Sacros Libros, qui captivitatis tempore prorsus interciderunt, iterum scriptis mandasse, & posteritati deinde tradidisse. Altera, virum illum a communi cæterorum fato Sacrum exemplar servasse, quod deinde a se post captivitatem transcriptum Hebræorum manibus commiserit. Tertia tandem, recensuisse illum, & restituisse vetera originalia, quorum pro viribus ita verba servavit, ut il-

Calmet. Differt. T. IV.

O lis

A) *Vide Bellarmin. de Verbo Dei lib. 2. cap. 1. Natal. Alex. tom. 2. Vet. Testam. Marian. victor. in Epist. Sancti Hieronym. ad Paulin. Valton. Prolegomen. &c.*

lis tamen non serviret; in unum etiam corpus omnia redegisse, cum alioquin antea nullo inter se vincita fædere jungerentur. Tres istæ opiniones in eo potissimum convenient, Scripturas omnes Divinas sive unius, sive plurimum opus habeantur, unitamen esse Sancti Spiritus operationi deputandas; ut proinde nihil in libris canonicis habeatur, cui Divina & infallibilis authoritas desit.

Author quarti Esdræ fons est, & unicum momentum opinionis de abolitione Sacrorum Librorum, eorumque Esdra authore reparatione. Narrat author cap. 14. 19. 20. 21. secum forte Domino adsisteret, vocem invitantis audisse, qua instruere fratres suos jubebatur. Reposuit ille: „Ecce ego abibo, sicut „præcepisti mihi, & corripiam præsentem populum. Qui autem interim nati fuerint, quis „commonebit? Positum est ergo sæculum in „tenebris, & qui inhabitant in eo sine lumine; quoniam lex tua incensa est; propter „quod nemo scit, quæ a te facta sunt, vel „quæ incipient opera. Si enim inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum Sanctum, „& scribam omne, quod factum est in sæculo „ab initio, quæ erant in lege tua scripta, ut „possint homines invenire semitam, & qui voluntuerint vivere in novissimis, vivant. Ecce „respondit ad me, & dixit: Vnde dens congrega populum, & dices ad eos, ut non quærant

„ rant te diebus quadraginta. Tu autem præ-
 „ para tibi buxos multos, & accipe tecum Sa-
 „ ream, Dabriam, Salemiam, Echanum, &
 „ Asiel, quinque hos, qui parati sunt ad scri-
 „ bendum velociter, & venias huc, & ego
 „ accendam in corde lucernam intellectus, quæ
 „ non extinquetur, quo adusque finiantur,
 „ quæ incipies scribere. Et tunc perfectis
 „ quædam palam facies, quædam sapientibus
 „ absconde trades; in crastinum enim hac ho-
 „ ra incipies scribere.

In frequenti ergo populi concione Esdras populo omnia exposuit, injunxitque, ne toto 40. dierum spatio quispiam ad se accedere auderet. Assumptis deinde viris ad eam rem destinatis, mane alterius diei vocem audivit invitantis, ut aperto ore oblatam potionem hauriret. Ille ore statim hianti aqueum liquorem, colore tamen ignem referentem, potavit: quo hausto, nimio veluti intelligentiae æstu viri cor exundabat, sapientia pectus redundabat, spiritum nunquam memoria destituit, apertumque ad loquendum os nunquam quievit. Eodem intelligentiae spiritu quinque illi viri ab Altissimo donati, qui dictantis verba ita excipiebant, ut ne obscuris quidem scripto referendis deessent. Cibum ad noctem differebant, cum interim Esdras diu noctuque loquendo nunquam lassaretur. Ita spatio 40. dierum non minus, quam 204. libri scripto

exarati sunt. „ Et cum complevissent qua-
„ draginta dies, locutus est Altissimus dicens:
„ Priora, quæ scripsisti, in palam pone, & le-
„ gant digni, & indigni. Novissimos autem
„ septuaginta conservabis, ut tradas eos fa-
„ pientibus de populo, in his est enim vena
„ intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ
„ flumen.

An 100. priores libri Veteris Testamenti scripta, 70. vero reliqui Novi Testamenti designent, incertum. Illud constat, Patres & Authores Ecclesiasticos opinionem inde suam de adornatis iterum ab Esdra Sacris Libris hau-
fisse. Sententiam illorum, qui Esdræ, & se-
nioribus ejus ætatis adornatam Psalmorum col-
lectionem tribuunt, cum quisque, si quæ me-
moria teneret, in medium conferret, apud Origenem in fragmento in Hexaplis D. Bernard. Montefaucon. legas. S. Clemens Alexandri-
nus Strom. lib. 1. & postea pag. 342. interci-
disse prorsus Sacros Libros in captivitate Baby-
lonica autumat, quos deinde Esdras Spiritu
Sancto afflatus restituerit. S. Basilius Magnus
epist. ad Chilonem ostendi adhuc in Judæa pla-
nitiem narrat, in quam Esdras recudendis Sa-
cris Scripturis ad omnium gentium utilitatem
secessit. Leontius lib. de Sectis Act. 2. S. Isi-
dorus, a) & recentiorum authorum plurimi
huic

a) Isidor lib. 6. origin. cap. 1. Raban. Maur. Lyran. Genebrar.
Sixt. Senens. lib. 1. & Joann. de Ragusio Orat. habita in Concil.
Constant.

huic visioni fidem adhibuerunt , cuius unicum momentum est opinio de absumptis incendio Sacris Libris injuria Chaldæorum , vel saltem incuria Hebræorum , sive in excidio Jerufalem , sive in captivitate Babylonica amissis , cuius opinionis fidem sublestam infra arguemus. Optatus Milevitanus lib. 7. pag. 114. Edit. V. C. D. Dupin. autumat , Antiochum Epiphanem Sacros Libros igne abolevisse , quos tamen Esdras memoria fuggerente omnes reparaverit : *Ut per unum hominem Esdram tota lex , sicut antea fuerat , ad apicem dictaretur.* Sed crasso plane errore Esdras cum Antiochi Epiphanis ætate componitur ; facile autem viro imposuisse potuit textus 2. Macch. 8. 23. ubi *Esdras* pro *Eleazar* legitur. Vel si mavis , Esdram sub Macchabæis florentem cum altero Esdra in captivitate Babylonica agente confundit.

S. Basilius , cæterique Patres afflatum Esdram S. Spiritu , ut reparandis Sacris Libris par esset , post solutam captivitatem , & reditum in Palæstinam statuunt. Sed ex ipso authoris textu planum est , vel saltem credulis lectoribus insinuatur , opus ab eo suscepsum in agro Babylonico , 30. annis ante captivitatem ; a) simulque ex lectione veri Esdræ intelligimus , cum in Judæam venisset , Dei legem in manibus suis habuisse. Ita enim ad

O 3

illum

a) *Vide* 4. Esdr. 10. 44. &c. & 12. 40. &c. & 14. 1.

illum Artaxerxes: a) *Missus es, ut visites Iudeam, & Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua.*

Reliqui vero Patres hinc textus evidentia, & authoritate quarti Esdræ, quem librum suspiciunt, & observant, permoti, veriti pariter, ne ex priori illa opinione suspicionis aliquid perniciosæ creetur; persuasique demum, Sacros Libros nunquam penitus intercidisse, medium sententiam elegerunt, rati Esdram quidem Sacros Libros reparasse simul, & vulgasse, non quidem iterum procudendo, sed recensendo, atque a mendis, uæ sive amanuensium incuria, sive longa fæculorum oblivione irrepserant, uno verbo, e naufragio illos servasse, collectisque pretiosis reliquiis nova exemplaria transcripsisse, vetera pluribus in locis pristino nitori, adjectis etiam, si forte opus erat, explicacionibus restituisse. S. Irenæus lib. 3. cap. 25. post institutum de Septuaginta interpretibus, quos S. Spiritu afflatos credit, sermonem, ut huic historiæ fidem conciliet, ait, Sacris Scripturis in captivitate fœde corruptis, post elapsos servitutis annos Esdram Divino Spiritu afflatum virum, a Deo sub Artaxerxe excitatum, præteriorum Prophetarum omnes rememorasse sermones, & restituisse populo eam legem, quæ data esset per Moysèm. Hunc Irenæi locum in-

integrum retulit Eusebius. a) Sed major videatur textus Græci originalis, quam Latini S. Irenæi energia; exprimit enim, Esdram iterum veteres Prophetas recensuisse, & libros Moysis restituisse. Quare eorum unus haberi potest, qui primam opinionem de refectis ex integro Sacris Libris ab Esdra tueruntur; & dum corruptionem Scripturarum appellat, non textus aliquam depravationem insinuat, sed integrum illius excidium, quasi prorsus interierit. Idem Eusebius in commentario in Psalmos, b) non semel ea se persuasione teneri insinuat, quasi Judæi sub Regibus impiis tam alta Sacrarum Scripturarum oblivione tenerentur, ut nulla apud illos legis Mosaicæ exemplaria, sicut etiam avitæ pietatis monumenta restarent. Et in Chronic. ad annum 740. ait: *Fuit Esdras eruditissimus legis Divinæ, & clarus omnium Judæorum Magister, qui de captivitate regressi fuerant in Judæam, affirmaturque, Divinas Scripturas memoriter (& sine ope librorum) condidisse; & ut Samaritanis non miscerent, literas Judaicas commutasse.*

An in eandem sententiam consenfisse credendi sint Tertullianus, & S. Hieronymus, ambigo; ille enim de cultu foeminarum lib. I. c. 3. ait: *Omne instrumentum Judaicæ literaturæ per Esdram constat restauratum;* alter vero ad-

O 4

ver-

a) Hist. Eccl. lib. 5. cap. 8. b) Idem Praefat. in ps. comment. mi Psal. 62.

versus Helvidium scribit: *Sive Mosem volueris authorem Pentateuchi, sive Esdram ejusdem instauratorem, non recuso.* Apertior est S. Chrysostomus Hom. 8. in epist. ad Heb. pro sententia de reparatis tantummodo Sacris Libris, & extantibus adhuc exemplaribus in unum corpus, cum antea separati vagarentur, digestis. *Ingruit bellum, ait ille, omnes sustulerunt, considerunt: exustæ fuerunt tabulæ: alium rursum virum inspiravit admirabilem, ut eas ederet, Esdram inquam, & ex reliquis ab eo componi fecit.*

Parcius etiam de Esdra Theodoretus scribens tantum, virum illum Dei gratia plenum Sacros Libros, corruptos in curia Judæorum, & malignitate Babyloniorum, recensuisse; factumque ita, ut Dei Spiritu vir ille afflatus Sacrarum Scripturarum memoriam innovaret. A) Sed alio in loco ipse in eorum sententiam consentit, qui intercidisse Sacras Scripturas fæiente captivitate contendunt. Ait enim præfatione in Cantica Canticorum: *Cum Libri Sacri penitus intercidissent, qua scelere Manassis incendio exemplarium partem corrumpentis, qua captivitatis infortunio: post aliquot annos evolutos, restituto jam e captivitate populo, Divinus Esdras Sancto Spiritu afflatus omnes instauravit, hanc nobis plane necessariam operam præstans, ut ejus dono haberemus, non*

Moy-

A) Praefat. in Pff.

Moysen tantummodo, sed & Josue, Judices, historiam Regum, librum Job, Psalmosque, sexdecim Prophetas, Proverbia, Ecclesiastem, & Cantica Canticorum. Si ergo, addit ille, *Ezdras nulla exemplarium ope, sed sola Sancti Spiritus gratia adjutus, potuit omnium mortalium commodis libros istos Scripturæ mandare; qua vos audacia negatis, hunc librum Cantici Canticorum spiritualem non esse? &c.* Hic sane remotis ambagibus loquitur: quare & ipse cum cæteris, S. Basilio, S. Clemente Alexandrino, in sententiam de instauratis ex integro Sacris Libris concessisse putandus est; non enim potuit apertioribus verbis mentem suam exprimere, ut, quæ alibi obscure protulerat, ex his debeant lucem accipere. Itaque unus ex omnibus Patribus S. Chrysostomus in ea fuisse sententia videtur, quæ dispersos antea Sacros Libros recensitos, & in unum corpus redactos, repurgatosque ab Esdra autumavit.

Hæc tamen sententia, arctioribus licet finibus adstricta, nobis adhuc minus arridet; vix enim persuademur, Sacros Libros V. T. omnes incendio corruptos fuisse, ac vicissim e relictis exuviis quibusdam Esdram totum deinde Sacrorum Bibliorum corpus instaurasse. Ex his enim necessaria quadam consequuntione deduceretur, Sacros, qui nunc extant, Libros rudera quædam esse, & reliquias veterum, qui

interciderunt; vel si integros habemus, id nos Esdræ reparatori, & ea, quæ deerant, supplenti accepto referre debuisse. Quis in annum induceret, ante ejus viri in Judæam adventum, Zorobabelem, summumque sacerdotem Josue exemplaribus legis, collectione Psalmorum, annalibus gentis fūæ, & scriptis Prophetarum saltem præcipuis caruisse? Ut quid gentem universam tantæ injuriæ desidiæque accusemus? Non deerant profecto in captivitate homines & studio legis addicti, & in eo scientiæ genere peritissimi, qui nihil habebant antiquius, quam ut ejus exemplaria conservarent. Vix credimus Ezechiem, Daniel, Mardochæum, Esther, Tobiam, aliosque illustres captivos id committere potuisse, ut legem, Sacrosque gentis Libros in manus gentium permitterent. Ubi unquam legimus Chaldaeos, bello in Sacras Scripturas indicto, exemplaria igni, & exitio tradidisse? Qua olim cura Jeremias, & sacerdotes tenebantur, ut ignem Sacrum, & Arcam cum altari thymiatum, & candelabro aureo in latebris servarent, eamne forte ad Sacras etiam Scripturas extendere neglexissent? Scripturas, inquam, & sui pretio, & hominum æstimatione illis rebus omnibus præstantiores? Tandem quo potissimum spectat elogium, in Sacra Scriptura, & Regis pagani testimonio in Esdram collatum,

tum, a) *Scribæ, nempe velocis, & in sermonibus Domini eruditæ, si vel nullum legis tunc temporis monumentum, vel saltem nonnisi rudera quædam, & residuæ ex igne reliquæ supererant?*

Qui vero servatos tantummodo ab Esdra Sacros Libros digestos, sancteque custoditos, quo tempore populus, malorum captivitatis cura occupatus, alia omnia negligebat, qui (inquam) ea sententia tenentur, illi plurimum ab authoritate quarti Esdræ, abolitos omnes penitus Sacros Libros testantis, recedunt. Pseudo-Athanasius sententiam ex alio, uti quidem insinuare videtur, acceptam refert. Narratur & hoc de Esdra, quod cum libri per incuriam populi ac diuturnam captivitatem perissent, ipse illos, cum vir esset honesti studius, & industrius lector, apud se omnes custoderit, & tandem protulerit, omnibusque tradiderit, atque ita servaverit. Idem author, quemadmodum etiam S. Hilarius Præfat. in Pss. honorem collectorum Psalmorum in unum corpus, quale hodiecum extat, Esdræ vindicat; nihil tamen addunt, quo ita conditos ab illo Psalmos designent, ac author libri quarti Esdræ testatur.

Sunt tamen huic opinioni, non secus ac præcedentibus, sua incommoda. Statuit enim

ex-

a) Esdr. 7. 6. *Ipse scriba velox in lege Moysi;* & vers. 11. *Esdræ sacerdoti scribæ eruditæ in sermonibus præcepiti Domini;* & vers. 12. *Scribæ legis Dei doctissimi,*

exemplaria Sacrorum Librorum omnia, excepto Esdræ, penitus intercidisse: quod veritati repugnare infra demonstrabimus. Ad hæc persuasum habent ejus assertores, Libros Sacros jam omnes scriptos fuisse ante captivitatem, atque ita digestos, quomodo nunc etiam leguntur; quod repugnat rebus antea a nobis constitutis in prolegomenis ad Josue, Judices, Reges, Paralipomena, optimisque criticæ regulis, quarum ope plurima in iis libris comprehendimus, nonnisi post captivitatem adjecta.

Aliter est igitur ea de re nobis philosophandum. Primo nullum suppeterem certum, assertumque rationis monumentum, quo five recusos, five collectos, five instauratos Sacros Libros ab Esdra doceamur: omnia enim ex authoritate quarti Esdræ tenemus, libri fidei sublestæ, sicut & testimonio Hebræorum, autumnantium eruditum illum scribam canonem Librorum Sacrorum recensuisse, simulque eorum numerum definiisse assensu totius cœtus, quem ipsi *magnam synagogam* appellant; qua quidem in re neque authores nostri inter se, neque Judæi secum ipsi convenient. A) Neque Patres hanc opinionem sequuti, aliam possunt illi autoritatem asserere, quam quæ a primo authore, unde cæteri hauserunt, derivatur. Quare nulla major habenda est illis, quam quæ

A) Vide Genebr. in Chronic. Serar. Valton. Simon. hist. critic. v. T.

quæ Pseudo-Esdræ fides : his vero subimotis recentiorum authorum ultro corruit.

2. Si quis post captivitatem Libros Sacros in unum corpus collegerit, id potius Nehemiæ, quam cæteris omnibus tribuendum, quem Bibliothecam collegisse 2. Macch. 2. 13. 14. legimus : *Construens Bibliothecam, congregavit de regionibus libros & Prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis.* Paria de Juda Macchabæo, nuspiam vero de Esdra legas.

3. Nehemiæ studium æmulatus Judas Macchabæus libros, & monumenta omnia gentis suæ sedulo conquisivit.

4. Ex ipsis Sacris Libris, quales hodie extant, argumentum in adversam opinionem deducimus ; docemur enim nuspiam Sacros Libros ita in captivitate intercidisse, ut ab Esdra instaurari debuerint ; quemadmodum etiam eorum testimonio, neque servatas ab ipso in exemplarium clade reliquias, nec intercedentibus omnibus unum ejus exemplar intactum persistisse intelligimus.

5. Inter Sacræ Scripturæ libros alii nunquam e Judæorum manibus recesserunt toto eo spatio, quod a Moyse ad nostram usque ætatem effluxit ; alii vero, quanquam serius, ante captivitatem tamen & deinceps innotuerunt ; nonnulli tandem post captivitatem scripti, authorem habent incertum ; facile tamen

ab

ab Esdra ope veterum monumentorum adorari potuerunt.

Horum, quæ hucusque deduximus, partem in prolegomenis ad singulos Esdræ libros adductis argumentis jam probavimus. Pentateuchus jam inde a Moysè nunquam apud Judæos cessavit. Post Jofue, Judices, & Reges semper præsto fuerunt annales, sive rerum ejus gentis memorabilium commentarji. Davide authore major Psalmorum pars constat, quæ deinde perpetua successione ad nos usque devenit. Salomonis ætate, cum librorum copia plus nimio crevisset, malum illud sapiensissimus Princeps deplorat *Eccles. 12. 12.* Ipse tamen plurimos dictavit, quos adhuc tenemus. Prophetarum scripta quis ignoravit unquam, cum vel ipsam editorum oraculorum ætatem, & tempus nossent? Scripta vix exemplaria ardenti populi studio rapiebantur, transcribebanturque. Omnis ætas tulit apud Judæos viros, scientia, & religione amplissimos, quibus nec studium deerat, nec pietas servandæ historiæ, legum, hymnorum, & canticorum, quorum erat in templo usus; quemadmodum & propheticarum lucubrationum, maxime ad historiam gentium conferentium. Supereft, ut hæc omnia fusijs discutiamus.

Scitum est, Moysem tum leges dictasse, cum pariter historiam veterum Patriarcharum, rerumque a se, & in reipublicæ administratio-

ne

ne gestarum. Ambigunt tamen nonnulli, an libri nomen viri praeferentes genuinum illius opus habendi sint; author enim apocryphus, sub Esdræ nomine latens, periuisse genuinas Moysis lucubrationes, earumque loco alteras ab Esdra substitutas autumat. Alii servata quidem Moysis opera, sed contracta, interpolata, & refecta censem. Utramque opinionem nos eversuros confidimus, id semel ostendentes, Hebræos semper ad manus habuisse Pentateuchum, quod Moysi opus tribuerunt, nec unquam fieri potuisse, ut idem opus, quantum ad fidem historiæ spectat, sive intercidet, sive corrumperetur. His autem probandis duo constituimus omnium confessione certissima: 1. Moysem leges & historiam scripsisse; 2. JESU Christi ætate easdem fuisse leges, & historiam, quæ hodie Moysis nomine inscripta supereant. Reliquum est igitur, ut tota temporis intercapedine inter JESUM Christum, & Moysem nunquam eos libros sive corruptos, sive abolitos, sive iterum profusos fuisse demonstremus. Nihil tamen moror levia quædam, quæ sive longioris temporis, sive amanuensium incuria, sive tandem privatorum quorundam audacia in textum irrepserunt. Id enim vitii libris Mosaicis, quemadmodum & omnibus aliis, quorum est remotissima antiquitas, commune est.

Omnis vero historia , religio , & politia Hebræorum his potissimum Mosaicis libris accepto referenda est . Vix ergo in animum inducere possumus , eos libros sive periisse , sive corrumpendos Judæorum incuriam permisisse , quo maxime tempore politia , & religio , & historia gentis adhuc manebat . Quando vero hæc omnia a Moyse usque ad JESUM Christum desierunt ? Ratum igitur habeamus , nunquam ea temporis intercedine incommodi aliquid Mosaicos libros sensisse . Prima hujus argumenti propositio rata est , & inconclusa ; alioqui enim nulla historiæ , & genealogiarum apud Hebræos ratio , si nempe Mosaici libri amoverentur , constaret . Univerſa illorum respublica , tum & religio ad legum Mosaicarum normam dirigebantur . Qui vero integra Judæorum natio , florentissima illa , legumque & privilegiorum suorum tenacissima , id committere potuisset , ut leges illas suas , tanti porro ad politiam momenti , intercidere patetur ?

Fac autem sacerdotes & levitas , quorum dignitas , & proventus omnes ex eo libro pendebant , illum tamen neglexisse ; an proinde Judices , Magistratus , Principes , privatique omnes , qui & callere ipsi , & filios suos doce-re legem debuerunt , qui verba legis in super-liminibus domorum insculpere , qui brachio & fronti allagatam tenere , qui denique regna-

ur-

urbes, provincias, familiam, ac se ipsos tandem ad normam ejusdem legis dirigere jubebantur, intercidere illam permisissent? Debuerunt profecto studio in se, in patriam, in religionem renunciasse prius, quam eo desidiæ pervenirent. Debuerat universus Israël terga simul Domino vertere, atque in extremum furorem, stultitiam, & impietatem devenire.

Totam quidem Israëlitici regni seriem intervalla quædam obscura, & tenebrosa interceperunt, uti sub Regibus impiis, idololatris, sacerdotibus corruptis, populis licentiosissimis, & domino perduellibus: nunquam tamen diu licentia, nec longe, lateque obtinuit. Deus enim nunquam non sive principes, sive sacerdotes, sive Prophetas studiosos, piosque submisit, qui afflictis religionis rebus succurrerent, scandalum repararent, tanquam muros firmissimos impietati & corruptioni sese opposentes. Populus quanquam alioqui legibus Divinis refractorius, in vitia præceps, & licentiam, legibus tamen in nonnullis deferebat animo adeo obfirmato, ut dimoveri nequaquam potuerit. Neque enim deferere Deum penitus voluerat, sed ejus obsequiis pro arbitrio servire: & in ipsa licentia, cultuque ejus superstitioso, quicumque tamen sive Moysi, sive ejus gloriae detrahere quidquam, vel saltem minimam aliquam literulam e textu legis abradere, ipsamque legem in aliquo reprehendere ausus fuisset,

set, extremum vitæ periculum in suum caput ab universo populo excivisset. Id enim natura apud plerosque mortales comparatum est, ut superstitionem in impietate retineant, studiumque profiteantur ejus religionis, quam moribus deturpant, & ad insaniam usque legibus vindicandis ferantur, quas moribus tamen destituunt. Hæc Hebræorum imago.

Nihil antiquius habet Moyses, quam ut studium & meditationem legis commendet. Jubet transcriptum ejus exemplar Regem apud se retinere, Deut. 17. 18. Singulis septenniis in festo Tabernaculorum alte coram populo legi, Deut. 31. 10. 11. ejus originale in religiosissimo loco Tabernaculi, in Sanctuario scilicet, asservari, Deut. 31. 26. Cavet, ne minimum quid addatur, detrahaturque, Deut. 4. 2. Sacerdotes legem callere jubebantur, quippe qui & cærimonias ministerii sui præstare debuerant, exhibere ordinis sui genealogias, Sacerdotii privilegia; scire quin etiam res ad judicandas controversias pertinentes, juri populo dicundo a Moyse addicti. Privati vero Israëlitæ, ne fœminis quidem exceptis, legem nosse debuerant, cum plura servare juberentur; nec ex illis aliqua ignorare sine capit ispendio licebat. Patresfamilias ita instruere filios suos tenebantur, ut simul ipsi omnia nossent, cum Moysis lex veluti municipalis apud Judæos haberetur.

Vix Josue gubernandum populum suscepit, hæc habuit a Domino commissa : *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus*; Josue 1. 8. Idem vero Chanaanitidem divisit, expeditionemque in Chananæos juxta Moysis præscriptum suscepit. Frequenter summi illius viri, ejusque facinorum, & legum mentionem ingerit; nec silet divisionem ab eo factam regionis Transjordanicæ, pulsis Regibus Amorrahæorum, devictæ Josue 1. 13. - - - 17. Si altaria erigit in monte Hebal, & Garizim Josue 8. 31. - - - 35. Deut. 28. 5. iussionibus Moysi paret; si urbes sacerdotibus, & Caleb destinat, legislatori obsequitur, Josue 15. 13. uno verbo nihil omisisse eorum, quæ a Moysè statuta fuerant, maxima viri hujus in Sacra Scriptura laus est, Josue 11. 12. - - 15. Paulo ante mortem populum in hæc verbahortatur: Josue 33. 6. *Estote feliciti, ut custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi.* In postremo tandem operis capite totam historiam revocat a Thare patre Abrahami usque ad Moysem, & Aaronom, in qua strictim persequitur gesta omnia Moysis, quæque deinceps Deo authore ipse Josue in populi favorem præstiterat. Josue 34. 2. & 26. *Scriptit omnia verba hæc in volumine legis Domini.* Legitur ibidem historia innovati inter Deum & populum fœderis, quod populus fide

sua obligata nunquam a lege & præceptis Mo-
saicis recedendi veluti obsignaverat. Erat igi-
tur sub Josue lex Moysis omnibus æque Israë-
litis exploratissima, cuius præscripto dirigeban-
tur. Ipsi tandem Chananæi Moysi testimonium
perhibent; fatentur enim Deum Moysi servo
suo Chanaanitidem promisisse, Josue 9. 24.

Sub Judicibus frequens mentio occurrit
de exitu ab Ægypto, de legibus Domini, at-
que ultione de transgressoribus exacta. Deus ad-
versariorum manibus Israëlitas permisit, ait Scri-
ptura, Judic. 3. 14. *Ut in ipsis experiretur Israël,*
utrum audiret mandata Domini, quæ præce-
perat Patribus eorum per manum Moysi. Jephë
fuse prosequitur res gestas a Moysè cum Am-
monitis, Moabitis, & Idumæis, cum scilicet
Israëlitas in Chanaanitidem duceret; quo va-
lido argumento jus Israëlitarum adstruebat in
ea regione possidenda, quam re ipsa possedisse
illos vel hostes ipsi Mosaicorum operum le-
ctione nosse poterant. Judic. 11. 12. &c. Quan-
tum etiam valerent leges, ne dum in Sacris,
sed etiam in politia illustri, sane testimonio apud
Ruth 4. 7. & Deut. 25. 7. intelligimus. Con-
traria omnia ex historia summi fæcrodotis Heli
1. Reg. 2. 22. & seq. patent, cuius filii Divinas
leges fusdeque miscuerant; quanquam ex ani-
madversione Dei, tum & querelis populi in illos
satis etiam demonstretur, quid maxime Israëlitæ
per id temporis observarent. Samuel 1. Reg.

7. 3. ad normam legum Mosaicarum jura populo dabat, ea integritatis & prudentiae fama, ut impune exprobrare populo ingratii animi vitium non in præstita tantum a se beneficia posset, sed in ea pariter, quæ Dominus contulerat, cuius beneficio ex Ægypto eductus in Chanaanitidis possessionem devenerat. Tandem sub Judicibus, & Regibus a) nunquam non revocatur in memoriam Israëlitarum vel secessus ab Ægypto, vel prodigia a Moysè patrata, vel ejus leges, ad quarum etiam normam reformanda politia suscepta est. Harum legum sive contemptum, sive omissionem Deus severa animadversione punivit. Erant igitur apud universum late populum assertæ leges, & exploratæ.

Nihil antiquius habuit David, quam ut Divinas illas iussiones sanctissime servans, custodiendas pariter religiose filio suo Salomonis paulo ante mortem commendaret: b) *Ut custodias cæremonias ejus, & præcepta ejus, & judicia, & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi.* Salomon in Proverbiis c) frequenter legis mentionem adjecto etiam elogio inducit; ejus lectionem, studium simul, & exercitium commendans; tum vero in sua ad Deum post dedicationem templi prece amplissimis verbis exaggerat liberatam a Deo fidem

omnem promissionum, quibus Moyses se se populo obstrinxerat 3. Reg. 8. 52. 53. Menthio etiam sub eo Rege occurrit Tabernaculi a Moyse in deserto erecti, 1. Paral. 21. 29. & 2. Paral. 1. 3. nihilque in Arca servari traditur quam tabulas legis Mosaicæ, 3. Reg. 8. 9. & 2. Paral. 5. 10. Tandem templum, vasa Sacra, & Sacri ministerii ordo testimonium pro lege ferunt apertissimum.

Cum Joas in Regem inauguratus est, *imposuerunt ei diadema & testimonium, dederuntque in manu ejus tenendam legem, 2. Paral. 23. 11.* Amasias filius Joas necem constituit in sicarios patris sui, filiis vero ipsorum pepercit, 4. Reg. 14. 6. & 2. Paral. 15. 4. *Fuxta quod scriptum est in lege Moyse: Non morientur patres pro filiis, neque filii morientur pro patribus, 4. Reg. 18. 4. Num. 21.* Tandem Ezechias amoliri jussit serpentem æneum olim a Moyse in deserto erectum; quippe qui Israëlitis offendiculo, & cultus superstitionis occasio fuerat.

Quæ de exemplari libri legis sub Josia reperio feruntur 4. Reg. 22. 8. & 2. Paral. 34. 14. omnibus exploratissima esse arbitror. Porro Rex ille legum Mosaicarum tenacissimus celebratur 4. Reg. 23. 25. & cum reformatam religionem atque politiam suscepisset, solum legum Mosaicarum normam sibi proposuit, vid. 2. Paral. 23. 18. & 24. 6. & 30. 16. & 31. 2. 3. & 35. 6. 12. Josaphat reformandæ provinciæ

ciæ consilio assumpto, misit optimates, Sacerdotes, & levitas per omnes urbes Juda & Benjamin, *habentes librum legis Domini*, ut confona legi Mosaicæ docerent, atque constituerent, 2. Paral. 17. 9.

Cum Jeremias fratres suos in captivitatem mox adducendos convenisset, librum illis legis secum deferendum, asservandumque tradidit, 2. Macch. 2. 2. Non desunt inter eruditos (vide ad 4. Reg. 17. 27. & seq.) qui credant, datum Cuthæis legis Mosaicæ exemplar ante captivitatem; constat enim, hodie usque apud illos servari legem veteribus Hebraicis characteribus, quorum erat ante captivitatem usus, scriptam; illud enim a Judæis recepisse vix credimus, cum infestissimi ejus gentis adversarii haberentur. Versabantur igitur libri legis in manibus principum & populi sub Regibus Juda usque ad captivitatem; ex quo sane intelligimus, nunquam ad id temporis committi potuisse, ut ejus exemplaria corrumperentur, abolerenturve.

Quanquam major esset in regno Israëlis præ Juda licentia, non ita tamen reputandum est, quasi lex prorsus apud eas gentes interiisset. Florebant enim apud illos magno numero Prophetæ, ejus studio, & observantiae penitus addicti. Elias, Elisæus, eorumque discipuli, frequentes illi oppido, a) nihil antiquius

tiquius habebant, quam ut in Prophetarum cœtu libros Sacros incorruptos servarent. Osee, Ahias, Jonas, Amos, aliquique plures in eodem regno versabantur; & cum rerum potiretur Achab corruptissimus, si quis alius, princeps, quo tempore alta erat, si unquam alio, legis oblivio, plures tamen Israëlitarum myriades integrum, incorruptamque religionem suam & in Dominum fidem servaverant,

3. Reg. 19. 18. Cœtus frequentabantur religiosi apud Prophetas singulis recurrentibus Sabbatis, & Neomeniis, a) in quibus lectioni, & expositioni legis Domini populus vacabat. Joram filius Ochoziæ, & Joas filius Joachaz nullo certe virtutis singularis merito distinguebantur; colebant tamen Dominum, Prophetas observabant, neque sub iis Regibus Domini memoria penitus obsoleverat. Sub Jeroboamo II. publicus legis cultus in quibusdam obtinebat. b) Sacrificia in editis locis offerebantur, & religiosæ peregrinationes instituebantur ad loca visionibus Domini, sive mora Patriarcharum religiosa; c) primitiarum, & decimiarum tributum ratum sanctumque habebatur; festa & sabbata servabantur, canticisque loca Sacra instrepebant. Anne igitur reputabimus probos illos Israëlitas, viros prophetia amplissimos, Eliam, Elisæum, Osee, Amos, Ahiam,

a) 4. Reg. 22. 23. b) Amos 2. 2. 12. & 4. 5. & 5. 22. 23. & 7. 3. 5. 10. c) Amos 7. 9. 13. & 8. 14. & 5. 5. Ose. 6. 8. 14.

Ahiam, Jonam, Tobiam, Mardochæum, Giezi, conjuges hospites Elisæi, aliosque plurimos auxilio librorum Sacrorum ita destitutos, ut ne Sacras quidem historias nossent? Nihil moror annales Regum Israëlitarum, quos velut incorrupta certissimæ fidei monumenta in regno decem Tribuum servatos constat; nec semel in Regibus, & Paralipomenis laudantur
 4. Reg. 17. 27. Tandem sacerdos, sive levita ab Assaradone ad docendos Cuthæos, vel Samaritanos missus, legis codicem, quem ad nostram usque ætatem servant, populis illis tradidisse scimus. Erant igitur apud Israëlitas captivos, apud quos sacerdos ille tenebatur, legis Domini exemplaria.

Frequens in Psalmis mentio de legibus, & de historia Judæorum, ex quo illustri satis documento intelligimus, ipsa Davidis, cæterorumque, qui Divina illa cantica scripserunt, ætate leges, & historias Hebræorum exploratissimas in republica Judaica habitas. Idem non uno in loco insinuant libri Prophetarum; a) nunquam illi non castigant Israëlitarum in legem pervicacium crimina, populosque ab iis legibus exorbitantes ad viam revocant; hortantur, ut ad Deum tandem conversi pristina consilia suscipiant; ingerunt exempla veterum Patrum. Prophetarum vero oracula nec obscura erant, nec incognita; cum pro

a) Vide v. g. Isai. 63. 10. &c. Jerem. 15. 1. Mich. 6. 4.

concione palam in templis , & in cœtibus religiosis præ foribus aulæ , & urbis, sive in plateis loquerentur. Porro vaticinia sua scribant Prophetæ adjectis temporum adscriptiōnibus; cuiusmodi operum genera omnium manibus atterebantur. Nonnulla etiam illorum oracula in annalibus gentis relata servabantur ; nec in annalibus tantum , sed privati quique exemplaria apud se habere studebant , quemadmodum olim apud prophanos summa cura colligebantur oracula de rebus majoris momenti , puta de politia urbium , de provinciis , regnis , & clarissimis familiis vulgata. Post tantam impensam libris Prophetarum servandis curam , interciderene unquam libri illi potuerunt ? Porro Judæi in ipsa captivitate , netalia negligerent , multo impensiori cura efficerē debuerant , cum de libris ageretur , in quibus , sicut oracula de imminentibus in gentem malis , & captivitate relata fuerant , ita etiam de futura mox præstituto tempore felicitate expressis vaticiniis admonebantur.

Faciunt etiam in nostrum argumentum Proverbia Salomonis , & genealogiæ in Paralipomenis insertæ ; sed argumenta hucusque ex historiis deducta satis intentum evincere arbitror.

Quod spectat ad historias Josue , Judicum , Regum , mansisse illas incorrupta fide usque ad captivitatem , nullo negotio demonstraretur . Nihil enim in omnibus historicis monumentis
fre-

frequentius, quam inventa olim Tribuum dispositio; nunquam non urbes certae Tribui, cui olim addictae fuerant, assignantur; quæ si forte in sortem aliarum Tribuum transierint, id fane solerter in eisdem libris exprimitur. Ita Siceleg urbs olim Simeonis, deinde mune-
re Achis Regis Geth in sortem Davidis, ade-
que & Regum Juda transivit, 1. Reg. 27. 6. Pristina Israëlitarum historia non raro percur-
ritur; ita Samuel totam ferme illius seriem
prosequitur 1. Reg. 13. 11. David Abimele-
chum filium Gedeonis in exemplum adducit
3. Reg. 11. 21. Judic. 9. 53. Revocantur etiam
in memoriam maledicta a Josue in eos pro-
nunciata, qui reædificandæ Jericho consilium
inivissent; quæ omnia in caput Hiel de Bethel
recidisse narrantur 3. Reg. 17. 34. In Psalmis
tota prorsus historia Judæorum strictim percur-
ritur. a) Paralipomena, quæ ex veteribus,
coævisque monumentis expressa ne dubitamus
quidem, paucis verbis plura veterum histo-
riarum facta commemorant. Quare omni re-
mota dubitatione asserendum est, universam
Judæorum historiam perpetua connexam serie
sibi optime constare, eique scribendæ operam
impendisse viros coævos, & fide spectatos;
mansisse vero illam incorruptam saltem in iis
commentariis, atque publicis annalibus, man-
sisse (inquam) ad eam usque ætatem, qua
libri

a) Vid. Pss. 56. 21. & 98. 6. & 102. & 104. & 105. & 82. 77. 1.

libri ad nos usque derivati adornandi a Sacris authoribus suscepiti sunt. Cum igitur libri Regum, & Paralipomenon post captivitatem primo literis mandati fuerint, quemadmodum nos in prolegomenis ad singula illa opera demonstravimus; inelectabili plane argumento constat, annales incorruptos, & originales ejus gentis usque post captivitatem inviolatos mansisse. Hos autem annales consulebat, eosdemque modo laudabat, modo describebat, modo consulendos lectoribus indicabat author, cum lucubrationes illas daret.

Post demonstratam integrum, assertamque librorum Sacrorum apud Judæos, a Moysè usque ad captivitatem Babyloniam possessionem, facili deinde negotio eandem traditionem a captivitate usque ad JESUM Christum deducemus. Supra jam animadvertisimus, ne verbo quidem in Sacra Scriptura insinuari Reges impios, sive qui apud Judæos, sive qui apud hostes ejusdem gentis regnarunt, bellum, quemadmodum in gentem, ita etiam in libros Sacros indixisse. Jeremias, uti supra innuimus, Judæis mox Babylonem in captivitatem traducendis volumen legis commisit, cuius aliqua exemplaria sibi, cæterisque, qui secum manebant, retinuisse facile censemus. Sacerdotes, & Levitæ nunquam iis libris caruisse credendi sunt; cum singulis de illis consulentibus paratos se exhibere tenerentur.

A) Ser-

A) Servasse etiam illos constat musicas illas cantilenas, quemadmodum & musica instrumenta in usum templi olim destinata; Babylone enim versantes Judæi exquirebantur in Psalmo 132. 11. &c. *Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Ultro fatetur Daniel 9. 11. 13. omnia, quæ in caput impiorum pronunciantur in lege Moyfis mala, in caput re ipsa Judæorum recidisse. Baruch. 1. 19. & 2. 1. &c. ad captivos Babyloniae loquutus, Moyfis legem, tum & historiam universam populi Dei laudat, & in memoriam revocat. Daniel. 9. 2. oracula Jeremiæ legens, penitiores sensus scrutabatur. Regi Cyro indicatum fuisse Isaiæ b) vaticinium, quo idem Rex vel nomine designabatur, Josephus Antiquit. Lib. 11. cap. 1. est author. Cum judicialis potestas apud Judæos in Babylonia versantes maneret, c) destitutos illos legibus Mosaicis, ad quarum normam omnis eorum politia dirigebatur, quis credat? Vix persuademur fieri potuisse, ut Mardochæus, Esther, Tobias, Ezechiel iis libris, quemadmodum & gentis suæ historia carerent; cum maxime de Susanna apud Danielem legamus, institutam scilicet illam ad legum Mosaicarum præcepta, latamque in ejus

ac-

A) Malach. 2. 7. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus.* b) Isai. 14. 28. & 25. 1. c) Daniel. 13. 3. 62.

accusatores juxta præscriptum ejusdem legis sententiam ; quippe quod juxta Moysis sanctiones falsi testes poena talionis damnati sunt. Deut. 19. 18. 19.

Unde vero molienti libros Regum & Paralipomenon suppeditabant , quæ in ordinem redigeret , vetera monumenta , si nulla in captivitate supererant ? In epistola Artaxerxis testimonium ferri de Esdra , quasi de viro assidue legem Dei sui versante , supra animadvertisimus .
 A) Cavet insuper idem Rex , ut dicto ejusdem legis morigeros se præbeant , atque judicia sua conforment Hebræi ; ac tandem ipse de se Esdras b) testatur , cum Babylone versaretur , parasse cor suum , *ut investigaret legem Domini , & faceret , & doceret in Israël præceptum , & judicium*. Inde gloriosus viro titulus scribæ velocis , seu legem Dei sui callentis . Cum vero ille Jerofolymam repetere , una secum exemplaria legis attulit , & post redditum Nehemiæ hæc legimus 2. Esdræ 8. 1. &c. *Dixerunt Esdræ scribæ , ut afferret librum legis Moysi , quam præceperat Dominus Israëli . Attulit ergo Esdras legem eorum multitudine &c.* Malachias , omnium Prophatarum ordine temporum novissimus , quippe qui post captivitatem scribebat , populum hortatur illis verbis cap. 4. 4. *Mementote legis Moysi , servi mei , quam mandavi ei in Horeb.*

Ne-

a) 1. Esdr. 7. 14. 25. b) Ibid. Vers. 10.

Nehemias, ut in superioribus observavimus, Bibliothecam Jerosolymæ instruxit, in qua nihil desideratum omnium, quæcunque ad Reges, Prophetas, & David pertinerent, 2. Macch. 2. 13. Circa A. M. 3872. Josephus filius Oziel ex Hebræo in Græcum transtulit avi sui JESU filii Sirach librum, *Ecclesiasticum* inscriptum, in quo strictim veluti legis, Prophetarum, & historiæ Judaicæ summa continetur. In eo opere post constitutas optimas quam plures dirigendorum morum regulas historicum elogium instituitur complurium præstantissimorum virorum Veteris Testamenti. Vide a cap. 44. usque ad 50. Charakteres ibi, & decora exhibentur Henochi, Noëmi, Abrahami, Moysis, Aaronis, Phineis, Josue, Caleb, Samuelis, Nathani, Davidis, Salomonis, Eliæ, Elisæ, Ezechiæ, Isaïæ, Josiæ, Jeremiæ, Ezechielis, duodecim minorum Prophetarum, Zorobabelis, Jehu filii Josedechi, Nehemiacæ, Enoch, Sethi, Semi, Simonis filii Oniacæ summi sacerdotis, ac tandem JESU filii Sirach authoris ejusdem libri, & avi illius, qui opus vertendum suscepit. Judas Macchabæus Bibliothecam instruxit, in qua libros omnes colligendos curavit, qui post belli cladem supererant, 2. Macch. 2. 14.

Sub ipsa tandem Antiochi Epiphanis persecutio factum est, quod alias nunquam acciderat, ut bello in Sacras Scripturas indicto,

ex-

exemplaria omnia igne absumenda, dilaceranda, a) sive imaginibus Deorum adpictis violanda b) sedulo inquirerentur. Cum autem Macchabæi in Masspha cœtus indixissent, ibi coram Domino libros Sacros ab adversariorum furore subtractos aperuerunt; c) datusque ad Lacedæmonios literis significarunt, nihil se capere posse tot malis afflictos solatii, nisi in lectione Sacrorum librorum: d) Habebant igitur Macchabæi Divinarum Scripturarum collectionem.

Versio Græca Septuaginta adornata A. M. 3727. sive illa omnes æque Sacros Judæorum libros contineret, uti veterum plerique autumrunt; e) sive tantum 5. libros Moysis, quæ aliis sedit opinio; f) nihil ego ea in re affirmandum censuerim, illustri satis documento libros Hebræorum jam inde ante JESU Christi ætatem Græcis innotuisse demonstrat. Constat autem inter omnes ea jam ætate certum fuisse illorum librorum numerum, & quem appellant *Canonem Scripturarum*, exactum, absolutumque obtinuisse.

Hac perpetua traditionum & autoritatum serie docemur, a Moyse ad usque JESU Christi ætatem semper apud Judæos librorum Sacrorum

A) 1. Macch. 1. 59. B) 1. Macch. 2. 48. C) Ibid. D) 1. Macch. 12. 9. E) Justin. Cohort. ad Gent. Iren. lib. 3. Tertul. Apolog. cap. 18. Clem. Alex. Strom. lib. 1. Cyrill. Catech. 4. &c. F) Joseph. Proœm. Antiq. lib. 12. cap. 1. Cont. Appien. Hieron. Quæst. Hebr. in Genes. Talmudici.

crorum depositum mansisse, ut quicunque illorum authorem Esdram invehunt, repugnantia illi plane & falsa contendant. Nunquam enim apud Hebraeos Scriptura desiit, neque ut fœdus corrumperetur, sive prorsus supprimeretur, fieri unquam potuerat. Si a Moyse scripti libri ad captivitatem usque manserunt, quid alias produisse cogebat? Si integrum opus manebat; ut quid in compendium, quod criticis nonnullis visum fuerat, redigendum? Profecto quicunque alicujus operis epitomen adornat, ille repetitiones omnes, quæ tamen apud Moysem frequentes, evitat, semper enim ad ulteriora stylum urget, nihilque parergon in opus adducit. Plane si Mosaicum opus breviare author voluisse, poterant equidem Mosaicæ omnes repetitiones impune omitti. Si quis vero operi manum admovere, sive correcturus, sive sensus imutaturus, sive tandem aliquid subducturus, adjecturusque, ausus fuisset, ille certe populi universi excitatum furorem in suum caput provocasset. Debuisset ille, qui tantum opus moliretur, omnia apud se exemplaria servare, vel saltem tantum obtinuisse authoritatis, quantum opus fuisset, ut castigationes suas approbaret, & recipiendas curaret, omnibus per universum late orbem dispersis Judæis exemplaria servantibus, uti per Ægyptum, Babyloniam, Persidem, Mediam, Syriam, Cappadociam, Insulas, Palæstinam, cum Esdræ ætate Judæorum gens omnia loca penetrasset.

DISSERTATIO

*An Esdras veteribus characteribus Hebraicis
Chaldaeos substituerit?*

 Uæstio de origine & vetustate characterum, quibus Judæi nostræ ætatis utuntur, viros doctissimos in partes jam inde a pluribus annis, & nunc etiam distractit. Nec magis inter Doctores Hebræos ea in re convenit, quam inter eruditissimos Christianos utriusque communionis scriptores; adhuc enim inter Protestantes, sicut & inter Catholicos in medio res est, & arduum problema, diu multumque discussum, in medio relinquitur. Quæ cum ita sint, audaci prorsus consilio sententiam in ea re nostram, tanquam litem dirempturi, ferendam susciperemus, quasi scilicet post doctissimas tot amplissimorum virorum lucubrationes, qui argumentum plene excusserunt, addendum aliquid de nostro haberemus. Id ergo potissimum nobis impræsentiarum statuendum est, ut alterum criticæ punctum, huic veluti succedens, in examen revocemus. Discutiendum est igitur nobis, an Esdras eam characterum Hebraicorum, quam contigisse autumant, immutationem primus author invexerit. Frustra erimus scriptoribus illis, qui eandem scribendi rationem semper apud Judæos obtinuisse contendunt;

cum

cum vicissim plurimum in ea momenti posituri sint adversæ opinionis assertores , qui nimirum recentes Judæorum characteres primum inventos credunt post abolitos veteres Phœnicios, qui apud Judæos ante captivitatem obtinebant , & modo etiam apud Samaritanos Palæstinæ vulgari usu feruntur. In eo autem quæstionis statu id a nobis præstandum esse , ut in ipso examinandæ quæstionis limine utriusque sententia monumenta afferamus , facile letores intelligent.

Si præjudiciis res ageretur, potior sane habenda esset illorum causa , qui nunquam apud Judæos immutatam scribendi rationem sustinent. Gentis enim superstitione fere in excessum indoles vix aliis moribus assuescere, quam suis, posset : neque enim tot sæculorum, quot cum exteris mixti fuere, spacio , neque persecutionum , neque bellorum, atque publicarum privatrumque calamitatum vi id unquam evictum fuit, ut veteribus consuetudinibus abolitis alienas reciperent. Manet apud illos receptum a patribus suis Sacrorum librorum depositum, ea plane forma , qua ab illis traditum est , & cum alias librorum formas usus induxit, cum typographiæ ars a tædio exscribendi libros nos liberaverit, comparata etiam tam prompta multiplicandorum exemplarium facilitate ; cum insuper punctuationis beneficium, quo clarissimi etiam Ju-

dæorum doctores usi sunt, & lectionis difficultatem minuerit, & sensuum vagam aliqui significationem magis determinaverit; nihilo tamen secius in synagogis Judæorum librorum Sacrorum, & uno quidem latere tantum, atque sine punctis vocalibus, manu descriptæ membranæ longo volumine circumvolutæ servantur; impurum rati illud exemplar, quod sive alienigenarum manibus descriptum, sive typis excusum synagogæ usibus forte destinatur. Gens igitur eo usque præjudiciis suis inhærens, potuissetne id committere, ut veteribus, quibus utebatur, characteribus neglectis, extraneos alios, & patribus suis incognitos admitteret. Fac autem id gentis superstitionem permisisse: an facile res executioni mandari potuerat, eo vel maxime tempore, quo eam contigisse vulgo arbitrantur, nempe post solutam captivitatem, cum scilicet per universam orientis faciem Judæi dispersi vagarentur? Judæos quidem in Chaldaea versantes, regionis literas didicisse nec factu impossibile, nec arduum censemus; sed & paria Judæos in Ægypto, Phœnicia, Syria, in insulis, aliisque remotissimis regionibus, quo per Nabuchodonosorem translatæ sunt, agentes uno veluti consensu præstitisse quis credat? Neque enim ita reputandum est, quasi Judæi omnes, & Israëlitæ decem Tribuum simul omnes e captivitate redierint, unaque in regio-

nem

nem convenerint ; longissimi enim temporis opus illud fuit, nec unquam factum est, ut omnes regrederentur. Quot enim Hebræorum avita regione semel deserta, provincias Asiae , nec facto unquam in patriam regressu, frequenterunt ? Hos vero inductam ab Esdra characterum mutationem, ne nosse quidem , nedum probasse credimus. Quin potius facile contigisse arbitramur, ut levitam eadem molientem si forte audissent , sceleris, & inexpiables in libros Sacros violationis reum accusarent.

Profecto si in medio prolixæ captivitatis, sine externarum fœce , linguæ suæ puritatem Hebræi servare potuerunt, ut Ezechiel, Esther, Daniel, & Esdras ipse , Aggæus, Zacharias, Malachias sub ipsa captivitate , vel paucis post scribentes , non alio, quam Hebræo sermone , qualis ante captivitatem obtinebat , uterentur ; eos deinde temere sive levissimis tantummodo de causis pristinos characteres penitus abjecisse vix in animum inducimus. Utrum , rogo , magis arduum , sermonisne puritatem inviolatam , an scribendi rationem pristinam servare ? Cui insuper bono characteres immutandi fusciperentur ? Si quis vero Chaldaice loquendi scribendique pruritus Judæos, ut commerciis servirent , vellicabat , poterant simul utriusque linguæ usum conciliare ; alterius quidem in sermone familiari

alterius in religione. Ita plane nostra ætate constanti confuetudine servant, ut per varias dispersi gentes Judæi vernaculo sermone in commercio, Hebraico in religione utantur.

His argumentis ex rei æquitate ductis accedit etiam testimonium vetustissimorum apud Judæos authorum, qui veteres semper manifeste apud gentem suam characteres consentient; eosdemque, qui modo obtinent, prisca etiam ætate adhibitos contendunt. Quam enim Moyses, sive Deus ipse probavit scribendi rationem, hanc, dicunt, non sine scelere inexpiabili Esdras, vir alioqui sanctissimus, tam leví maxime ratione inductus immutasset. Laudant in eam rem *Judam Sanctum*, qui *Mishnam* collegit, opus ipso Origene, primo ex fidelibus adversæ sententiæ assertore, vetustius. Gemina tradunt ambo RR. Eliezer in Talmude laudatissimi, quos deinde pone sequitur turba Rabbinorum in Gemarra, & Buxtorfius, quem ducem plures viri doctissimi sibi in ea re statuerunt. Porro cum de facto aliquo agitur, & Judæis de suis rebus testantibus major, quam cæteris omnibus, fides habeatur, ratio ipsa suadet. Hæc majoris momenti argumenta in hanc opinionem afferuntur.

Huic plane adversa sententia, nec autoritatum, nec argumentorum minori pondere statutitur. Quibus jam diu utebantur Judæi, characteres neque ipsis tantum peculiares erant,

erant, nec gentis prærogativa singularis. Quam enim Moyses in Ægypto didicerat scribendi rationem, hanc Phœnices omnes, & Palæstini, ante Josue in regionem adventum, familiarem habebant. Qui vero nostra ætate obtinent apud Judæos characteres, a veteribus Phœniciis literis, seu veteribus Ægyptiis plane discrepant (quod enim ab ipsa origine eadem esset Ægyptiorum, & Phœnicum scribendi ratio in proleg. in Genef. demonstravimus) Alii sunt ergo veterum & recentiorum Hebræorum characteres. Cum vero Samaritanorum literæ veteribus Phœniciis affines sint, illud constituamus oportet, veterum Hebræorum characteres a Samaritanis nostræ ætatis non abluisse. Hanc autem literarum immutationem cum nullo alio tempore opportunius fieri potuisse intelligamus, quam quo soluta primum captivitate Judæi una cum Esdra patriam repetierunt; ideo jure meritoque suphicamur, cùm ea potissimum ætate veterum characterum immutatorum epocham compонendam.

Quando vero concederemus, Ægyptiorum literas Moysis ætate a Phœniciis plane discrepasse, non ideo tamen evinceretur, veterem scribendi apud Hebræos rationem a Phœnicia, vel Chananæa abluisse. Namque si Moyses in omni sapientia Ægyptiorum excultissimus, & in Ægypto innutritus, aliis

quam vernaculis Ægyptiorum literis in lucubrationibus suis scribendis usus est, non alias sane potuit, quam Phœnicum adhibuisse, quas a Patribus suis in Ægyptum transmigrantibus acceptas tenebat. Quemadmodum enim viri illi vernaculum Chananæorum, vel Phœnicum sermonem retinuerunt, ita & literas easdem nullo negotio potuissent. Re tamen utraque sententia convenit, si id constituamus, nimirum Ægyptios & Phœnicios characteres ab origine non discrepasse.

Samaritanas literas, quales hodie in Pentateucho Samaritanorum spectantur, ipsissimas esse veteres Phœnicum, a nemine, qui oculatus illas testis inspexerit, negaretur. Porro literas illas, quemadmodum & legem ipsam Moysis non aliunde plane, quam ex sacerdote Israëlita, Samaritani receperunt; Sacerdote (inquam) ab Assaradone Rege Assyriæ illis instituendis missō, quo tempore res Judæorum, & Phœnicum florentissimæ habebantur, neque alia scribendi ratio, quam quæ ab ipsa origine obtinebat. Iterum ergo constitutum habeamus, Samaritanos characteres ipsissimos esse Hebræorum ante captivitatem. Nullos aliquos norat sacerdos, vel levita ad eos populos missus; neque aliter descriptam legem Moysis, quam literis in universa Palæstina unice obtinentibus, habere potuerat. Interim Samaritani in medio duarum florentissimarum gentium, Hebræorum scili-

scilicet, & Phœnicum, pauci ipsi rarique constituti, eorum linguam atque scribendi rationem adoptare nolentes volentesque coacti sunt. Neque semel acceptum morem dimisisse illos conjectura ulla satis firma, sive argumento discimus. Manent ergo apud illos hodie dum veteres characteres cum vetustis Hebraicis sive Phœniciis confundendi.

Si vero Hebræorum nostræ ætatis characteres alii habeantur a Chaldaicis, illud evinceretur, scribendi apud Chaldæos rationem, quamquam alioqui proprius nostra tempora obtinuerit, maneantque non raræ eo sermone scriptæ lucubrationes, ita penitus intercidisse, ut ne fama quidem supersit. Eo etiam devniendum esset, ut authores in media Chaldæa scribentes, quo tempore literæ Chaldaeorum florebant, aliud sane a Chaldaico scribendi genus adoptassent. Ardua sunt hæc, & vix ferenda; ut proinde in animum inducendum sit, characteres apud Judæos nostra ætate familiares ipsissimos fuisse, quibus Chaldæi utebantur, cum eosdem præferant scripta primi-
tus Chaldaice opera, non ea tantum, quæ in Chaldæa, sed etiam in Judæa, & alibi quo-
cumque exarata sunt.

Si quis argumentum istud retorquere maluerit, regerens Chaldæas quidem, & Hebraicas literas plane in unum confundendas, & cuius tamen rei in causa fuisse, quod Chaldaicum He-

braicis characteribus Scripturæ genus obtinuerat, quem olim morem Abraham Chaldæus origine in posteros, & illi deinceps in successores perpetua, constantique traditione derivarint. His ego respondeo : 1. Vix in annum induci posset, Isaacum, Jacob, ceterosque Patriarchas diutius in Chananæa versantes, cuius vernaculum sermonem adoptarunt, quorum virorum posteri post Josue cum Phœniciis, & Chananæis commercii consuetudinem habuere, extraneam & ignotam in ea regione scribendi rationem servasse. Si enim avito patrum suorum sermone abjecto, vernaculo regionis assueverunt, ut quid etiam a Chaldæorum in scribendo more, ut ad Phœnicum transirent, non desueverunt ? 2. Quam legem Samaritani a Judæis receperunt, hanc Phœniciis characteribus descriptam, quemadmodum nostra etiam ætate servatur, acceperunt. Eadem ergo scribendi ratio apud Israëlitas erat. 3. Judæi in hanc sententiam omnes conspirant, quorum eo minus suspiciosum habendum est testimonium, quo occultandæ veritati non solum nulla utilitate ducuntur, verum etiam e re ipsorum fuisse videtur, si tenebras offundere possent historiæ, quam hodie probro aliquo ducunt. Neque enim id committere hodie ausi fuissent, quod olim sub Esdra accidisse multis probatur, ut nimirum veterem scribendæ legis rationem immutarent;

rent; quod hodie facinus capite luendum ducerent.

Judæi (inquam) vetustissimi ultro fatentur, post solutam captivitatem e veteri scribendi ratione gentem suam recessisse. Eam sententiam R. Jose in Misna adversus Judam Sanctum, & utrumque Eliezer defendit, contendens Hebraicas recentiores literas Assyrias apud Judæos appellari, quippe quæ ab Assyria originem duxerint. Suffragantur Jose R. Musufra in Gemarra, & alter Judæorum Doctor, sicut & R. Moses Nachman, qui ante 500. annos florebat. Gemina pariter habent eruditissimorum Ecclesiæ Patrum trias, Origenes, Eusebius, & S. Hieronymus, quibus recentiorum criticorum doctissimi accedunt. Refert Origenes in fragmendo recens edito a P. Montfaucon, in Palæograph. Græc. lib. 2. cap. 1. pag. 119. in exemplaribus Hebraicis sui temporis spectari nomen *Yehovah* veteribus Hebraicis characteribus, aliis sane a vulgaribus ejus ætatis, descriptum; ferunt enim (ait) Esdram veteri scribendi more abrogato, novum post captivitatem substituisse. Eadem nec obscure scribit Eusebius in Chronic. ad A. 4740. addens, tanquam omnibus exploratissimum, Esdram, quo omne intercederet Judæos inter & Samaritanos commercium, abrogata veteri scribendi ratione, novam Hebræis induxisse. Paria nec semel, nec obiter, & tanquam rem exploratissimam, inculcat S. Hierony-

ronymus: *Samaritani*, ait ille in *Præf.* in *Lিros Reg. etiam Pentateuchum Moysis totidem literis scriptitant, figuris tantum & apicibus discrepantes.* Addit insuper: *Certum est, Esdram scribam alias literas reperiisse, quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.* Et in illud *Ezech. 9. Signa Thau in frontibus eorum &c.* tanquam certum constituit: *Antiquis Hebrorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau litera crucis habet similitudinem.* Origenes in eundem locum ex testimonio *Judæi ad fidem conversi* afferit, veterem Thau formam crucis exhibuisse; quod plane consonat cum veteribus elementaribus literis Samaritanis, typis expressis, in quibus Thau rudem quandam crucem præfert. Vide *Palæograph. Græc.* lib. 2 cap. 1. & hic ad finem dissertationis.

Ita sententiæ hujus veritas non auctoritate tantum veterum PP. notæ eruditio[n]is fulcitur, sed etiam Rabbinorum testimonio, veterumque adeo librorum Hebraicorum fide, in quibus Origenis ævo nomen *Jehovah* veteribus gentis characteribus præferebatur. Neque enim Origenes aliorum testimonio, dum hæc assereret, nitebatur; sed ipse, vir alioqui eo scientiæ genere excultissimus, oculis a se explorata memoriæ prodebat. Ita pariter S. Hieronymus non cunctabundus, sed certa asser-tione

tione mentem suam prodidit. Res erat igitur eorum PP. ætate exploratissima, nec ipsis Ju-dæis diffitentibus. Agedum modo sententiæ oppositæ momenta expendamus.

Fateamur quidem oportet, Judæos literæ legis summa adeo religione semper inhæsisse, ut si quis hodie aliquid de characteribus libro-rum Sacrorum immutandum susciperet, supremum ille discrimin in se provocaret. Si quis vero apud se reputet, 1. hanc veterum Phœnicum characterum in Chaldæos transmutatio-nem nihil in rebus, sed tantum in apicibus, & literis aliquid innovare; cum characterum Chaldæorum vis, numerus, valor, cum Hebraicis prorsus convenient, ut alii in alios trans-mutari integra sensuum omnium fide facile possint. Quare multo pronius erat hujus reformationis negotium, quam si de transformandis Hebraicis in Græcos characteres, quod ab Origene in Hexaplis factum est, ageretur, sive substituendorum Latinorum characterum Hebraicis, quod aliquando in favorem Hebraicas literas ignorantium solemus, res esset. 2. Judæorum cum Samaritanis simultas vetus erat, & omnium sæculorum experimento probata; neque enim unquam inter utrosque po-pulos convenire potuit. Quare non nisi in-verosimiliter crederemus, Judæos, cum non possent a veterum characterum possessione Sa-maritanos deturbare, alienos adoptasse, ne
quid

quid unquam commune inter utramque gentem intercederet. Facile politica quædam, vel etiam, si mavis, religionis ratio, quemadmodum Eusebius in loco supra relato insinuat, momenti aliquid ad eam transmutationem adjecit. Potuerunt enim gentis Optimates ea cautione commercium omne cum Samaritanis Judæis interdicere, metu ne tandem Samaritanorum consuetudine, sub communis legis prætextu introducta, tandem Judæi corrumperentur.

3. Subita quidem characterum immutatio, veteribus, quibus ad id usque scripta lex fuerat, abolitis, novos incognitos & inusitatos substituens privata quadam authoritate nunquam in populo maxime superstitionis, & veterum consuetudinum tenacissimo induceretur; sed sensim veluti per gradus inducta mutatio, auctoritate legitima & viri clarissimi opinione fulta, potuit quietis omnibus introduci; quemadmodum fere simili exemplo contingere facile posset, ut e manibus populi Novum Testamentum literis Gothicis scriptum, & obsoleto Gallico sermone ætatis Caroli V. traditum subduceretur, quo luculenta nitidis characteribus, & puritate sermonis editio substitueretur.

Inclinabat autem animis universus populus Judaicus in literas Chaldaicas, quibus longo usu, cum in captivitate Babylonica tenetur, in civili ac familiari commercio assueverat. Quid igitur obstare poterat, quin etiam in

in usus Sacros, & in libros Scripturæ adoptaret; cum maxime Esdras, & viri quinque in universo populo amplissimi novam Librorum Sacrorum collectionem, novumque canonem adornarent? Hunc vero canonem instituerunt illi, ut exactius darent, correctiusque Sacrarum Scripturarum corpus, Chaldaicis inscriptum literis, notissimis illis, & præ veteri Phœnicum charactere maxime familiaribus, iis potissimum, qui Transeuphratæa tenerent.

Neque arduum videbatur, ut recepta illa Jerosolymis immutatio sensim ad Judæos per varias provincias dispersos transfunderetur. Plerumque enim loca, quæ dispersis Judæis frequentabantur, Regum Chaldææ, ac deinde Regum Persidis, quibus tandem Chaldæa accessit, imperio subjiciebantur. Quare Chaldaico vel Syriaco sive Aramæo (unus erat iis omnibus) sermone, tanquam principi, & in aula Chaldææ, & Persidis familiari, potissimum utebantur. Hujus erat in commercio per universum imperium usus; nec alio scripta sunt edicta Regum Chaldæorum, & Persidis in Danieli 2. 4. &c. & 3. 24. 91. 49. & 5. & 6. & 7. & Esdra lib. 1. cap. 7. 12. 28. Sicut & Epistolæ ad eosdem Principes apud Esdram pariter lib. 1. cap. 4. 7. 8. &c. relatæ. In eo statu res manferunt usque ad Alexandrum Magnum, cæterosque post ipsum Reges Græcos, obtinente ubique in Mesopotamia, Palæstina, Phœnicia,

Sy-

Syria & cæteris Asiæ regionibus plerisque Chaldæi vel Syriaci sermonis consuetudine. Quibus ita se habentibus, facile Judæi per universas late regiones dispersi inductam publica autoritate a viris in gente sua Principibus reformationem, non statim quidem totam, sed sensim & per gradus, quemadmodum in hisce rerum immutationibus accidit, adoptare potuerunt. Nec sane Judæus aliquis sive Israëlia non opportunam sibi hanc reformationem reputasset, quippe quibus magis familiaribus descriptæ literis Sacræ Scripturæ tum primo suppeterent. Cum vero tunc primo certus librorum Sacrorum numerus constitui, atque nova Sacrorum exemplarium recensio susceppta esset, omnes sane oblatam sibi occasionem arripuere, ut ad normam restituti publica auctoritate a viris doctissimis exemplaris sua etiam reformarent, recuderentque. Simili exemplo nostra etiam ætate accidit, ut Christiani avidius conquirant versionem librorum Sacrorum in vernaculam linguam. Minor est autem innovatio, Sacros libros ignoto quodam charactere antea descriptos notioribus literis tradere, quam si ex veteri originali linguae populo ignotæ, quæ pluribus ante sæculis obtinuit, nova quædam in vernacula linguam versio tradatur.

Quamquam autem Prophetæ Ezechiel, Daniel, & post ipsos Esdras, Nehemias, Agæus,

gæus, Zacharias, & Malachias purum putumque Hebraicum sermonem in lucubrationibus suis adhibuerunt, ubique tamen apud omnes æque Judæos captivos obtinuisse, ut Hebraicæ linguæ puritatem retinerent, nullo argumento probatur. Quemadmodum etsi forte acciderit, ut in occidente ad nostram usque ætatem libri Latinis literis frequentius mandarentur, ejusdemque sermonis usum Ecclesia Latina nunc etiam in solemni officio retinuerit, non inde tamen est, ejusdem linguae usum familiariter apud omnes æque obtinuisse. Quod vero nobis aperto fatis argumento demonstrat, populum Chaldæo æque, ac puro putoque Hebræo assueuisse, illud est, nimirum in Daniele, & Esdra ingentia superesse fragmenta Chaldaice scripta, nulla adjecta interpretatione. Tandem vix potest in dubium revocari, Daniëlem exempli gratia, & Nehemiam, qui suprema quæque munia in aula gerebant, Chaldæum sermonem non ignorasse, quanquam alioqui lucubrationes suas Hebraicis literis tradere maluerunt. Utramque ergo callebant: quid autem non etiam cæteri Israëlitæ, quibus maxime cum finitimis gentibus commercium detinendum erat, nec alio plane, quam Chaldaico sermone apud illas gentes vernaculo? Quare cum nulla apposita limitatione asseritur, Hebræos in captivitate detentos Hebraicæ linguæ puri-

tatem servasse , ex quo opportuna satis consecutione inferunt , nunquam ab illis commis- sum, ut literarum apices reformarent , illud tanquam certum statuitur , quod maxime dubium , ne dixerim falsum , reputandum est ; ex quo nihil melior argumentatio deducitur.

Post constitutam igitur veterum characterum apud Hebræos in novos aliquos , quibus Chaldæi hodie usque utuntur , immutationem , restat , ut in examen revocemus , quoniam authore mutatio ista acciderit , qui potissimum est hujus dissertationis scopus . S. Hieronymum , Origenem , & Eusebium ejus rei honorem Esdræ vindicasse supra animad- vertimus . Suffragantur inter recentiores criticos plerique , qui substitutas Chaldaicas literas Phœniciis vel Samaritanis contendunt ; ut contra traditionem comuni suffragio probatam constantemque repugnare vix ac ne vix quidem posse videamur . At enim qui fieri unquam potuit , ut Esdras , vir privatæ authoritatis , excogitatam a se imutationem , suaque authoritate tantum inductam Hebræis omnibus per universum late orbem dispersis adprobaverit ? Minime id quidem ; nam Esdras non privatæ authoritatis vir erat , neque minimi apud suos nominis ; omnes enim virum vereban- tur , tanquam morum probitate , & rerum ge- starum gloria , sicut etiam literarum studiis insignem : cuius nomen apud ipsos paganos cla-

clarissimum habebatur; qui summa fultus auctoritate ab ipso Rege Persidis in Judæam missus, ut gentem suam juxta patrias leges gubernaret, atque refractarios in ordinem coegeret. Uno verbo Esdras tanquam summus Judæorum Doctor, & Divino Spiritu afflatus vir apud omnes merito habebatur. Talis igitur tantusque cum esset, & post exactam summa cum populi approbatione vitam, accedente insuper Nehemiac, cæterorumque virorum Principum auctoritate, miramurne, si novam hanc characterum reformationem in Libris Sacris persuadere Judæis universis potuerit?

Hieronymus nunquam illud auctoritatis culmen in Ecclesia Latina, quod Esdras in synagoga, attigit. Hieronymus (inquam) versionem Veteris Testamenti ex Hebræo adornavit, qua in re adversarios quam plurimos nactus est, nec ipse quidem aliam in Ecclesia implebat dignitatem, quam sacerdotis. Histicamen nequidquam obstantibus, eadem versio in publicis Ecclesiæ lectionibus recepta est, sensimque apud fideles obtinens, eo auctoritatis devenit, ut nullo licet adnitente Concilio, nullaque suprema auctoritate con gente, supra cæteras omnes sola intra brevioris temporis spatium regnaret. Nec regnavit tantum, sed ita ejus luce vetera ex-

emplaria discussa sunt, ut hodie vetus integrum vix, & ne vix quidem inveniatur. Tandem eo deventum est, ut postremum Generale Concilium unam eam versionem authenticam declararit, abjudicata omnibus novis versionibus causa. S. Hieronymus (dicam iterum) minori eruditionis fama, minori autoritate, & dicere etiam audiam, minori intelligentia, quam Esdras pollebat; nunquam enim S. Doctor Divino Spiritu afflatus ad scribendum se contulit; nihilo tamen secius versionem suam Ecclesiæ Latinæ universæ ita potuit commendare, ut cæteris abolitis sola regnaret. Quæ cum ita sint, cur Esdræ, authori Divino Spiritu afflato, viro sui temporis doctissimo, & prophetiæ dono insigni, non tantum tribuerimus, ut universæ Judaicæ Ecclesiæ persuadere potuerit levem hanc characterum immutationem, qua, salva textus veritate, Phœniciis apicibus novos alias substituerit.

Aliud etiam in eam rem non prætereundum argumentum accidit, quod Esdræ ætate Judæi, si unquam alias, ad eam transmutationem recipiendam aptissimi censebantur, ut eam exigere, quin & poscere videri potuissent. Hebræorum enim quicunque in Trans-euphratæis, & Syriae regionibus versabantur, Chaldaicis literis, & sermoni potissimum ita assueverant, ut soli inter eos viri literis addicti veterem scribendi rationem noſſent. Quare

si textus notis populo literis redderetur, via instruebatur pronior, ut vulgaribus omnibus lectio, & studium legis pateret. Semel etiam ab incommodo, descendit geminum characterum genus, onere relevatus populus, eodem, quo utebatur studio in discendis literis Chaldaicis pro familiari commercio, ipso pariter ad lectioem Sacræ Scripturæ, iisdem descriptæ characteribus, juvabatur. Poscebant ergo Judæi, summisque votis hanc characterum immutationem flagitabant.

Tandem in obscuro licet versetur tota hujus transmutationis historia, cuius altum est in Sacra Scriptura silentium, neque inter Judæos ipsos de illa satis constet; certam licet ejus rei epocham, & quantum insuper Esdræ laborandum fuerit, ut consilium suum universo populo persuaderet, ignoremus; facile tamen credimus, neque brevioris temporis rem illam fuisse, nec operæ; nulloque magis adjumento eam immutationem promotam, quam insito Judæorum in Samaritanos odio. Quod enim penes Samaritanos esset Pentateuchus veteribus Phœnicum characteribus descriptus, id vel unicum in causa fuisse poterat, cur Judæi pristinum scribendæ legis morem deserentes, novum adoptarent.

Cæterum ea, quam hactenus statuimus, reformatio, quamvis nec Esdra vetustior, nec multo recentior illo credatur, non ita tamen

ejus rei certam epocham definire audemus, quin exorbitare ab illa per nos minime licet. Neque ita Esdras ejus rei author constituitur, ut etiam operam in illa suam impendisse principes totius gentis viros negaverim. Totum etiam hujus substitutionis opus non ita statim absolutum, perfectumque est, quin vestigia plurima veteris Scripturæ in Sacris libris manerent. Ita Origenis ætate vetera quædam exemplaria suppeterabant, in quibus nomen *Je-hovah* veteribus scriptum characteribus exhibebatur; & sub Simone Macchabæo excusos nummos veteribus Samaritanis characteribus constat. Quare ea etiam ætate negotium reformationis non adeo processerat, quin veteris Scripturæ vestigia aliqua manerent. Cujus rei sive in causa fuisse potuit, quod artificibus Phœniciis, quibus regionis characteres ignoti essent, Simon uteretur; sive quod ætati suæ quandam vetustatis authoritatem conciliare volebat, pristinos gentis suæ characteres iterum revocans, quemadmodum apud nostros Reges in moribus positum est, ut Latinam adscriptionem in nummis excudendam statuant, quamquam vernaculus regni sermo alter sit a Latino. Quæcunque tandem Simonem impulerit ratio, vix tamen credimus committere potuisse, ut characteres populo prorsus ignotos excudendos in nummis curaret.

Nihil igitur moramur totam hanc Samari-tanorum characterum, quos vernaculos fuisse usque ad captivitatem Babyloniam credimus, in Chaldaicas literas transmutationem (quam populo , Chaldæorum moribus assueto, Esdras cæterique viri in tota gente principes persuaserint) non statim quidem totam, sed sensim, & veluti per gradus inductam, pro veteribus characteribus novis paulatim succendentibus.

DISSERTATIO

De versione Septuaginta Interpretum.



I doctis tantummodo viris laborare constituissemus, frustra nobis de hoc argumento, tot eruditissimis virorum sapientissimorum commentariis excusso, tractandum iterum susciperemus. Cum autem in eo simus confilio, ut unum veluti corpus tradamus disputationum, ad prolegomena Scripturæ servientium, nunquam id nobis committendum censuimus, ne de versione Septuaginta, celebratissima illa semper in Ecclesia, & peculiari S. Spiritus afflatu, ut vetustis quibusdam Patribus creditum est, adornata A) argumentum relinqueretur intactum.

R 4

Plura

A) Clemens Alexand. Strom. L. 1. Justin. Exhort. ad Gent. & Dialog. cum Tryphone. Cyrill. Jerosolym. Catech. 4. Irena. L. 3. advers. hæres. cap. 25. seu 21. Epiphan. de ponder. & mensur. Chrysost. in Gen. Hom. 4. &c. August. de Doct. Christ. L. 2. cap. 15. & de consensu Evangelist. L. 2. cap. 66.

Plura in hoc argumento comminisci succurrit multis, quibus res tota parum assertis circumstantiis inferta est adeo, ut omnia in medium adducere, & in unam veluti methodum redigere, res sit omnium operosissima & plena difficultatis. Sanior criticorum recentiorum pars de versione Septuaginta historiam omnem varie expressam apud Aristæam, Philonem, Josephum, S. Juitinum, S. Irenæum, S. Epiphanium, tanquam fabulosam penitus exsufflant. Alii genuinam defendantes, circumstantias nonnullas ad fabellas amandant. Persuasum tenent alii, a Septuaginta Interpretibus non nisi quinque libros Moysis Græcis literis ex Hebræo traditos; alii universam Scripturam malunt, quin & apogryphos plures libros addunt alii.

Nec minus de tempore adornatæ versionis dissident; alii enim constituant sub Ptolemæo I. filio Lagi, & patre Ptolemæi Philadelphi; a) alii vero, quæ communior est sententia, sub eodem Philadelpho; alii tandem multo recentiorem suspicantur, b) rati versionem hanc, qualem nostra ætate habemus, adornatam circa ætatem Ptolemæi Philometoris, sexti post Ptolemæum Lagi, & quinti post Philadelphum Regis.

Non

a) Vide Iren. & Clem. Alexandr. loco citat. Anatol. in Comput. Pasch. Theodore. Praefat. in Ps. b) Bochart. de Animalib. Sacr. Lib. 2. cap. 18. Usser. Syntag. de Septuaginta Interpret.

Non defunt, qui autumaverint, versionem, Septuaginta nomine nunc inscriptam, non genuinum esse opus, sed in odium Christianorum fraude Judæorum corruptum, a) vel forte textum Hebræum, qualis hodie supereft, alterum esse a genuino & vetusto. Suspicati sunt alii, Judæos Alexandrinos eo consilio inducitos, ut versionem hanc procurarent, quod ignorent Hebræum; ut autem authoritatem operi suo conciliarent, nomen Septuaginta præfixisse, quasi scilicet jussu 72. Patrum Magni Synedrii adornatum fuisse, vel saltem eorum authoritate probatum.

Tanto Judæorum Ægyptiorum assensu exceptam hanc versionem refert Philo de vita Moysis Lib. 2. ut ejus rei memoriam annuo festo instituto consecrarent. Spectare licet (ait ille) singulis annis affuentem, non ex Judæis tantum, sed ex advenis pariter turbam in insulam Pharon, obsequii sui specimen exhibituram loco illi, ubi versio Septuaginta primum paruit, & gratias pro accepto beneficio, veluti si tum primum exciperent, acturi. Postquam factum religioni suæ fatis est, plena gaudii & pietatis convivia instruunt, alii sub tentoriis in litore maris, alii sub dio, majori plane voluptate, quam si in Palatiis magnificientissimis celebrarent. Hæc Philo.

R 5

Sed

a) Salmeron Proleg. 5. 6.

Sed Hebraizantes Judæi ingrate adeo versionem illam acceperunt, a) ut jejunium in ejus rei detestationem instituerent die 8. Thebet, Decembri nostro respondentis : tantus nimirum infedit horror de audacia Hellenistarum, qui prophanis literis Sacra Scripta tradere ausi fuerant. Fatalem profecto Israëli fuisse diem hujus versionis censem, b) perinde ac illam, qua vituli aurei Jeroboami scelerare consecrati sunt; & ad sacrilegii illius crimen cœlum triduanis tenebris exhorruisse. Judæorum nonnulli c) narrant, missos Alexandriam quinque interpretes, alii 72. mandunt. S. Hilarius in Ps. 2. cui Baronius accedit, viros fuisse Principes, & synagogæ Doctores, nempe Sanhedrinos Patres afferuit. Josephus Gorionides Lib. 3. cap. 2. testatur, summum sacerdotem, cuius filie nomen, misisse 70. presbyteros, inter quos spectabatur Eleazarus, senex ille, tolerata in persecutione Antiochi Epiphanis morte celebratissimus.

Sunt, qui credant, versionem hanc e Chaldaeo expressam; d) sunt, qui ex Syriaco; e) sunt, qui ex Samaritano; f) sunt tandem, qui ex Hebræo parum emendato. Alii, variantia plura inter Septuaginta & Hebræum animadvententes, suspicantur, interpretes illos invitatos
ad

a) Scalig. not. ad Chronic. Euseb. ad An. 1734. pag. 134. b)
In Massechet Sopherim c) Ibidem. d) Ita Philo Lib. 2. de vita Moysis, R. Azarias in Meor Enaraim. e) F. Gedolia in Schalshet Cabala. f) Ita Samarit. Chronic. Selden. Postell.

ad suscipiendum opus coactos, nihil satis exacti tradere voluisse. Alii vero id factum a viris illis sapientibus arbitrantur, quod indignum reputarent, prodere religionis suæ mysteria, & patrum suorum errata viris prophani. S. Hieronym. Præfat. in quatuor Evang. parum aliquin Septuaginta illis favens, ita de versione illa constituit; *Post Septuaginta nihil in Sacris Literis potest immutari vel præverti, quin eorum translatione omnis fraus & dolus patefiat.* Hæ variæ de Septuaginta Interpretibus sententiae.

Quo igitur ordine aliquo procedamus, neque præscriptas transgrediamur dissertationi metas, demonstrandum suscipimus nobis; 1. Versionem Septuaginta, qualis nostra ætate superest, ipsissimam esse, quam Apostoli & Patres legerunt pariter, & laudarunt; 2. magnam, ejus fuisse, & etiamnum esse in Ecclesia auctoritatem; 3. historiam Septuaginta apud Aristæam fabellam in multis sapere; 4. Facile ex Hebræo in Græcum Pentateuchi solummodo libros sub Ptolemæo Philadelpho versos fuisse, cæteris variis deinde temporibus, & scriptoribus translatis; 5. Criticam hujus versionis dabimus, sententias pariter ea de re doctissimorum criticorum referentes.

Quæ instituta est adversus Judæos, veluti textus Septuaginta corruptores, accusatio, ex eo repetitur, quod loca nonnulla aliter olim in

in Græco lecta credantur, quam quæ modo parant. Ita illud Psal. 95. 10. *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno,* legi in textu Septuaginta totidem verbis asserit S. Justinus, sed dolo malo a Judæis subductum a ligno. A) Expunctum pariter dicit locum Esdræ; *Et dixit Esdras ad populum: Hoc Pascha salvator noster est, & refugium nostrum. Cogitate, & ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in signo, & post hæc sperabimus in eo, ne deseratur hic locus in æternum tempus.* B) Addit insuper eodem fallendi spiritu truncare in quibusdam exemplaribus tentasse illud Jeremiæ: *Ego quasi agnus, qui portatur ad victimam. Co-gitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus ejus nomen de terra:* c) Sed detecto consilio integer locus servatus est. Tandem ex eodem Propheta subductam sententiam illam asserit: *Et commemoratus est Dominus Sanctus Israël mortuorum suorum, qui dormierunt in terra sepultiorum, & descendit ad eos evangelizare salutem, quæ est ab eo, ut salvaret eos.* d)

Ter-

A) Justin. Dialog. cum P. Tryphone. B) Hunc locum facile tenuit Justinus e 4. Esdræ apogrypho; nihil enim tale in duabus canonicis Esdræ legitur. Inde autem facile irreplisse potuit in 1. Esdræ 6. 19. 20. 21. c) Vide Jerem. 11. 19. nihil alicujus momenti deest. d) Frustra hæc quæras in Libris canonicis. S. Irenæus interdum tanquam Isaïæ, sæpius vero tanquam Jeremiæ laudat.

Tertullianus de habit. mulier. Lib. I. cap. 2. 3. vitio Judæis vertit, quod e canone expunxerint librum Henoch, sicut & cæteros de JESU Christo agentes. Corruptæ in textu Septuaginta illius sententiae: *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo*, ut relinquerent tantummodo: *Peccatum eorum scriptum est &c.* accusat Orig. hom. 12. in Jerem. Addit insuper Epist. ad Jul. Afric. ab illis truncata plura, & integros etiam libros suppressos, quo & probrum suum, & patrum suorum crima occultarent. Paria exprobrat S. Hieronymus; corruptos ab illis de industria Prophetarum textus, ut oracula JESU Christi demerent, quæritur S. Chrysostomus hom. 5. in Matth.

Verum ne apologiam modo Judæorum in omnibus instituamus, ut ne pariter eorum crimen defendamus in omnibus, non raro enim lectiones, quæ minus faverent Messiacæ, illi æquioribus aliis substituerunt; non raro insuper quorundam locorum apertos de Messia sensus alio detorserunt: ne (inquam) hæc omnia moremur; vix tamen possumus in animum inducere, eo usque fallendi consilio processisse, ut textum Septuaginta corrumperent. Namque I. si quid tale in odium Christianorum committere ausi sunt, factum id post JESU Christi adventum. Frustra autem tunc fraus successisset, nisi forte in exemplaribus, quæ in eorum manibus versabantur; quin & in illis

incredibile est, ait S. August. de Civit. Lib. 15. cap. 13. Iudaorum gentem, tam longe latè que diffusam, uno consilio conspirare potuisse in hoc conscribendo mendacio, & dum aliis invideant autoritatem, sibi abstulisse veritatem. Tunc autem Christianorum exemplaribus salva fuissent omnia.

2. Si quid fraudis in oracula de Messia committere tentassent, id maxime adversus apertissima, & luculentissima molituros pronum est, ut credamus. Sed plura ejus generis intacta adhuc perseverant. 3. Opportunum maxime ad eam rem fuisse censendum est, ut e textu Hebræo expungerent pariter, quæ in Septuaginta truncaverant. Vix autem commodum fuisse, duos simul textus corrumpere, adnitentibus cum cæteris & Iudaorum pluribus, quorum unicum semper fuit studium, ut integritatem Sacrorum librorum servarent inviolatam. a) 4. Fac Iudeos incredulos in dolum consensisse; quid non timendum e Christianis Judaizantibus, apud quos Sacra illa volumina in lingua originali?

5. Tandem, si ad trutinam severioris criticæ loca apud S. Justinum, cæterosque Patres expendantur, deprehendemus statim, vel nunquam apud Septuaginta, & Hebræum extitisse, vel saltem structam ex illis accusationem nulli idoneo testimonio niti. Si vero interpres

a) Joseph. cont. Appion. Lib. 1. pag. 1037.

tes illi , sive post ipsos Judæi , textus quos-dam patribus suis minus congrua interpretatione eluserint , factum id potius credimus ante JESUM Christum ; sed ex multis ejus generis pauca desiderantur , plurima servantur intacta . Ex quo illud mihi jure censeo statuendum , textum Septuaginta nostræ ætatis ipsum plane esse , quem Judæi ante JESUM Christum servabant , & ab illis Christiani traditum receperunt ; quanquam nec inficiari audeam , menda occurrere interdum , & ordinis inversiones , sive incuria , sive audacia amanuensium , sive longioris temporis subrepentia .

Usserius Syntag. de Septuag. Interpr. post S. Hieronymum , reputat priorem versionem sub Philadelpho non nisi 5. Mosaicos libros retulisse , quibus cætera deinde Sacra scripta quarto anno Ptolemæi Physconis , alio nomine Philometoris An. M. 3865. ante Christ. 139. translata , sub eodem Septuaginta nomine accesserint . Summo plausu a Judæis excepta versio ista , in bibliotheca instructissima Alexandrina deposita fuit , ubi Origenis etiam ætate visebatur , qui plane Origenes illam in suis hexaplis inseruit , e regione alterius eodem Septuaginta nomine inscriptæ , quam *communem* & *vulgarem* ideo appellat , quod minus licet correcta , magis tamen vulgari usu excepta esset . Hæc Usserius .

Dabimus quidem Usserio, legem Mosaicam Græcis literis traditam fuisse sub Philadelpho; sed vix illi assentimur, optimis probari documentis, novam quandam versionem universæ Scripturæ sub Evergete, sive Philometore adornatam fuisse, silent enim ea de re veteres. Vix etiam probaretur, ante regnum Physconis Græcis literis traditum unum tantum Pentateuchum obtinuisse, & multo etiam ægrius demonstraret Usserius, versiones, in hexaplis Origenis insertas, alias ab iis fuisse, quas sub Septuaginta nomine omnis ætas agnovit, vel univerias, vel ex parte tantum circa Philadelphia ætatem adornatas.

Quo vero authoritatem hujus versionis demonstremus, nullum afferri potest efficacius argumentum, quam quod S. Hieronymus Epist. 101. ad Pammachium: *Jure obtinuit in Ecclesiis, vel quia prima, & ante Christi adventum, vel quia ab Apostolis, in quibus tamen ab Hebraico non distat, usurpata.* Veteres quidam, nec sane rari autumarunt, afflante Spiritu Sancto scriptam; & usque ad versionem Latinam S. Hieronymi sola regnavit in Ecclesia; quemadmodum & canonica habetur hodie usque in Ecclesia Græca. Quin & in Ecclesia Latina expressus e Græco Septuaginta Latinus Psalmorum textus, authenticus in Concilio Tridentino declaratus est.

Insigni Divinæ Providentiae miraculo deputat S. Chrysostomus hom. 4. in Genes. barbarum Regem, a vera religione alienum, veritatis & populi Dei adversarium (Philadelphum scilicet) id commisisse, ut Græcam curaret Bibliorum versionem, qua data via omnibus per orbem gentibus ad veritatem pervenire primum esset. Gemina habet S. Augustinus: a) *Libri, quos gens Iudæa cæteris populis, vel religione, vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum gentibus ministra Regis Ptolemæi potestate tanto ante proditi sunt.* Quid deeest authoritatis huic versioni, ait S. Hilarius, b) ante JESU Christi adventum adornatae, quo tempore nulla poterat creari assentationis erga eundem Christum invidia, ejus authores nullius accusari ignorantiae, quod doctores essent, & Princes Synagogæ, doctrinæ Mosaicæ veluti depositarii? Non poterunt non probabiles esse arbitri interpretandi, qui certissimi, & gravissimi essent authores docendi.

Si quis conferat veteris Testamenti sententias in Evangelio, & Epistolis Pauli laudatas, cum textu Septuaginta, congruere intelliget omnia. Hæc potissimum observata debemus Origeni c) & S. Hieronymo, d) duobus

Calmet Dissert. T. IV.

S sci-

- a) *De Doctrin. Christ. cap. 15. & Serm. 68. in Joannem.* b) *In Psal. 2. Vide si lubet, Euseb. Lib. 8. Præpar. cap. 1. c) In cap. 15. & 10. Epist. ad Rom. & in Joan. Vide & Cyril. Jerosol. Catech. 4. d) *In quæst. Hebr. in Genes. & alibi.**

scilicet ætatis suæ viris sapientissimis, idoneis, si quis alias, earum rerum judicibus; quippe qui non Græcum tantum, sed & Hebraicum callerent, ac versionem cum originali conferre per se possent. S. Matthæus, qui Hebraice, seu potius Syriace scripsit, laudat non raro sententias V. T. ex Hebreo; A) verum S. Lucas, S. Joannes, & S. Paulus plerumque textum Septuaginta præferunt; & S. Irenæus Lib. 3. cap. 25. generatim observat: *Apostoli consonant prædictæ interpretationi, & interpretatio consonat Apostolorum traditioni.*

Addit autem vir idem Sanctus: *Unus enim idemque Spiritus Dei, qui in Prophetis quidem præconavit, quis & qualis esset adventus Domini; in senioribus autem interpretatus est bene, quæ bene prophetata fuerant; ipse & in Apostolis annunciat plenitudinem temporum adoptionis venisse.* Confert autem adornatæ hujus versionis a Septuaginta rationem cum illa, qua abolitas in captivitate Scripturas Esdras reparavit. *Esdræ 24. 19. 20. 21.* Hanc tamen sententiam cum veritate non cohærere demonstravimus in dissertatione de hoc arguento, libro Esdræ præfixa.

S. Clemens Alexandrinus Strom. Lib. 1. & Theodoretus Præfat. in Psal. pari arguento paria

A) S. Hieronym. in libro de scriptoribus tanquam certum statuit, S. Matthæum Hebreum nunquam non laudare. Sed alibi generatim fatetur, Evangelistas plerumque textum Septuaginta sequi.

paria adstruunt; ac Patres generatim omnes, sive Philonem secuti, sive cum S. Justino persuasi, Septuaginta Interpretes in cellulis seorsum scribentes ne verbo quidem inter se discrepasse, persuasum habent pariter, nonnisi S. Spiritu afflatos viros illos se contulisse ad scribendum, uti prodigio illo consensu fatis demonstratum arbitrantur.

S. Hilarius in Psal. 131. num. 24. in locis illis, in quibus Interpretes variant, semper cæteris præferenda esse censet, quæ apud Septuaginta; quippe quorum versio & vetustissima esset, & Ecclesiarum usu probata. Neque enim sive illam abjicere, sive ab ea recessere integrum est nobis, addit; a) ejus enim authoribus nec scientia deerat, nec authoritas, nec cætera tandem, quæ ad fidem conciliandam valent. S. August. de Doctr. Christ. Lib. 2. *Septuaginta Interpretum, quod ad Vetus Testamentum attinet, excellit authoritas, qui jam per omnes peritiiores Ecclesias tanta præsentia Spiritus Sancti interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit.* Addit, tunc pariter Divino instinctu inductos suis se credi oportere, cum ab Exemplaribus Hebraicis recedunt; ita nimirum Spiritu Sancto, cuius sequebantur ductum, agente, ut con-

S 2 grua

a) Idem in Psal. 118. lit. 5. n. 13. Sed nos, sicut oportet, sequimur Septuaginta Interpretum religiosam antiquam autoritatem. Vide &c in Psal. 118. lit. 4. n. 6. Sed neque nobis ~~possimus~~ est translationem Septuaginta Interpretum transgredi.

grua hominum necessitati, & gentilium captui, quibus maxime scribebant, ab aliis traducerentur.

Et Lib. 2. de consensu Evangelist. cap. 66.
Cur tanta authoritas interpretationis Septuaginta multis in locis distet ab ea veritate, quæ in Hebraicis codicibus invenitur, nihil occurre probabilius existimo, quam illos (Septuaginta) eo spiritu interpretatos, quo & illa, quæ interpretabantur, dicta fuerant ; quod ex ipsa eorum mirabili, quæ prædicatur consensione confirmatum est. Ergo, & ipsi nonnulla in eloquio variando, & ab eadem voluntate Dei non recedendo, nihil aliud demonstrare voluerunt, quam hoc ipsum, quod nunc in Evangelistarum quatuor concordi quadam diversitate miramur ; quia nobis ostenditur non esse mendacium, si quisquam ita diverso modo aliquid narret, & ab ejus voluntate, cui consonandum, & consentiendum est, non recedat.

Verum cum hæc de inspiratione Septuaginta sententia, parum assertæ authoritatis, ne quid gravius dicam, historiæ innitatur ; quod scilicet Interpretes illi in singulis scribentes cellulis, nihilque inter se habentes commercii, eadem tamen omnes & sentirent, & scriberent ; non est, cur religioni ducamus, si ruentि inhærentem fundamento opinionem exsufflemus. Quare S. Hieronymus, tantus criticus

ticus, nunquam in animum induxit, ut Prophetas crederet Septuaginta; a) meros tantum habet interpretes, & post relata loca nonnulla, in quibus recedere illos ab Hebræo constat, observat: *Ubicunque sacram aliiquid Scriptura testatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt, ut & Regi satisfacrent, & arcum fidei non vulgarent.*

Invehit deinde adversus primos cellularum authores, venditantes, in singulis illis scribentes Septuaginta versionem suam singulos seorsum dedisse. Ad fabellas totam eam rem amandat, quippe quod neque Aristææ nota esset, nec Josepho, nec Philoni, quorum consensu constaret: *In una Basilica congregatos contulisse (nempe interpretes illos scripta sua) non prophetasse. Aliud est enim vatem, aliud est esse interpretem.*

Sed ad infirmandam versionis Septuaginta assertam olim apud Ecclesiam autoritatem hæc nihil valent; ratam enim illam habet ubique S. Hieronymus in suis operibus; b) sed ne quid nimis jubet. Tolli enim abusum omnem edicens; nunquam id censet committendum,

S 3

ut

a) Praefat. in Pentateuch. ad Desider. b) In Isai. 18. pag. 492. nov. edit. &c in Lib. 2. Apolog. adversus Rufin. pag. 421. nov. edit. Egone contra Septuaginta Interpretes aliquid sum locutus, quos annos plurimos diligentissime emendatos meæ linguae studijs dedi? quos quotidie in conveniu fratribus ediffero, quorum Psalmos jugi meditatione decantō &c.

ut vel in pari cum originali constituatur gradu, vel S. Spiritu afflante adornata censeatur; neque enim repugnantia sibi docere potest Spiritus Sanctus, ut quæ in Hebræo expresserat, abjecta velit in Græco; nunquam error dicitanti illi subreperet, cum tamen subrepuisse re ipsa quandoque Interpretibus illis constet. Quæ tandem historia veterum credulitati fucum fecit, nullius est in Ecclesia authoritatis; quare tanto dogmati statuendo impar est.

Si quæ vero historia de versione hac Septuaginta melioris fidei censenda esset, hoc sane privilegium in nullam aliam melius, quam in Aristææ quadraret. Sed hæc pariter, et si S. Hieronymo facile probata, suspicionis haber plurimum. Quare potiori jure suspicionis nota inurenda sunt cætera historiæ Aristææ veluti adscititia ornamenta, aliena fraude adjecta.

Hac autem historia Aristæas personam gerens viri gentilis, & inter corporis custodes Ptolemæi Philadelphi (a quo missum se dicit Jerosolymam ad Eleazarum Sumum Sacerdotem, postulatum ab eo viros Græce, & Hebraice doctos, quos vertendis Sacris Judæorum libris addiceret) itineris sui omnia exponit, & quid ejusdem itineris suscipiendi fuerit in causa, de omnibus fratrem suum Philocratem faciens certiorem. Narrat igitur, Demetrium Phalenum, Regiæ Philadelphi bibliothecæ custodem, cum omnem posuisset curam colligendis

dis ex universo orbe libris, interrogatum semel a Rege, quot tandem comparasset, ad 200000. respondisse; sperare se tamen eum numerum brevi ad 500000. & ultra aucturum. Significavit insuper, relatione aliorum didicisse, Judæorum scriptas leges non indignum sibi locum inter bibliothecæ libros vindicaturas; curandum proinde actutum, ut ex Hebraico in Græcum transferrentur. Nec mora, Rex scribendas edixit ea de re epistolas ad Summum Sacerdotem Judæorum.

Tunc Aristæas, qui forte aderat, opportunam sibi offeri occasionem censuit, ut mentis suæ arcanum, tamdiu apud se celatum, communicatumque tantum cum Sosibio Tarrentino, & Andrea, duobus viris principibus inter Regii corporis custodes, Regi ipsi tandem aperiret. Agitabat ille animo libertatem Judæorum, quos olim Ptolemæus Lagi, pater Philadelphi, dum in expeditione esset Syriae, & Phœniciae, in Ægyptum adduxerat captivos. Centum millia erant numero, e quibus selectos 30000. arcium suarum custodes disposuit; reliqui una cum uxoribus & filiis victoribus militibus captivi permisssi sunt.

Hanc igitur nacti occasionem Aristæas, Sosibius, & Andreas cum Rege pro Judæis egerunt, demonstrantes, leges illas, quas in Græcum vertere meditabatur, ad Judæos pertinere; iniquum autem esse, ut ab illis legum

ipsorum interpres exposceret, quorum gentem captivam teneret. E Regis esse munificentia & liberalitate, si beneficio illos libertatis donatos, ad propria remitteret. Interrogavit Rex, ecquot numero essent in suo Regno Judæorum captivi; cum ultra 100000. ab Andrea intelligeret, nihil tamen de tanta captivorum multitudine absterritus est.; sed omnibus libertatem fancivit, adjecto insuper munere 20. drachmarum in singulos, quo damnum captivitatis tanto beneficio compensaretur. Impensa ea occasione a Rege ultra 600. talenta; a) lata insuper pro ea libertate edita, quibus etiam in ejusdem beneficij communionem admissos voluit Judæos omnes, non tantum a patre suo in captivitatem translatos, sed & cæteros ex ea gente ab aliis quibusque libertate privatos.

Jussus simul Demetrius Phalereus in suppli-ci libello consilium suum omne exponere, & quo ordine singula procederent; paruit illico; & Rex, datis ad Eleazarum Summum Sacerdotem literis, virum rogavit, ut libros mitteret, & viros illis in Græcum vertendis idoneos.

Destinati in eam rem legati, & ditissima templo Domini munera. Impositum id officii Andreæ, & Aristææ, qui tanto successu jussa com-

a) Nempe 1440000. librarum, pro singulis talentis 2400. libris computatis.

complerunt, ut a Summo Sacerdote impetrarent 72. Judæos, Græce & Hebraice doctos, sex e singulis duodecim Tribubus (nec nomina, nec Tribus singulorum præterit) ut secum venientes una cum Sacris legis libris, ac epistolis ad Regem, pietatem ejus & munificiam in templum etiam atque etiam commendantibus, operi se se accingerent. Alexandriam venientes summa honoris & humanitatis, tum & lætitiae significatione exceptit Philadelphus; summa etiam religione pronus septies adoravit Divina oraculorum Sacrorum volumina; admiratus est autem plurimum membranæ elegantiam, cuius tam scite folia alterum alteri jungebantur, ut nec junctura appareret; laudavit vividos ejusdem membranæ colores, qui nitorem addebant auro scriptis literis. Gratissimo etiam animo exceptit missa sibi a Summo illo Præfule munera, tum & viris illis significavit, singulis vitæ suæ annis festum adventus eorum, veluti rei sibi faustissimæ se celebraturum. Cum autem ea simul die gaudium geminaret celebrata memoria victoriæ navalis, a Rege adversus Antigonum relatæ, voluit una secum viros illos cœnare, commisso interim aulicis suis munerare apparandi sedem illorum in loco arci urbis continuato. Stata igitur cœnandi hora accumbuit cum hospitibus convivii Philadelphus, totaque animi voluptate pluribus quæstioni-

bus tentatos illos audivit. Mane alterius diei iterum convivas adhibuit; quod & per septem continuos dies præsttit, volens singulos auscultare.

Post triduum Demetrius Phalereus Hebræos hospites duxit in insulam Pharos, per agerem maris septem stadiorum, ac trajecto ponte in domo splendide exstructa illos constituit. Sita autem erat domus ad septentriōnem insulæ in litore maris, ab omni tumultu & strepitu, quo melius vertendorum Sacrorum librorum otio vacarent, remota. Continuo se se ad opus accinxerunt; & quidquid negotii interpretantibus faceſſeret, non prius scriptis redigebant, quam ut coīuni discussione digerent; digesta vero deferebant ad Demetrium, qui transcribenda curabat ab amanuensibus. A) Singulis diebus operi instantes usque ad horam nonam, nempe ad tres horas ante occasum Solis, simul conferendo perseverabant. Tum in urbem pedem referentes, quidquid necessarium eſſet ad vitam abunde præparatum habebant. Mane post salutatum Regem iterum ad insulam; & post lotas manus, ac oblatas preces rufus ad opus. Perſeveratum in labore ad 70. vel 72. B) solidos dies.

Abſolutam tandem versionem remiferunt in manus Demetrii, qui in cœtu Judæorum Alexandrinorum, & coram interpretibus totam

A) Aristæas de 70. Interpp. B) Ita Aristæas, Joseph. in versione Rufin. Euseb. Cyrill. Alexandr. Cedren.

tam perlegit , exceptam non sine unanimi & solemnni approbatione eorum , qui judicium ferre de consonantia versionis cum textu per se nossent. Judæi maxime ingenti gaudii significatione testati sunt , nihil se habere in illa , quod non laudarent ; laudes etiam plenis manibus contulerunt in Demetrium , cuius consilio hæc omnia præstata , & in Interpretes , qui rem executioni mandaverant . Post hæc omnia dira in eos imprecati sunt , qui scripto illi sive addere aliquid , sive detrahere , sive ordinem pervertere ausi fuissent.

Hæc omnia Rex non sine ingenti gaudii significatione exceptit , quam admiratio etiam de sapientia legislatoris cumulavit , postquam versionem illam coram se lectam auscultasset . Interrogavit post hæc Phalereum , eccur nec historicus aliquis , nec vates tam eximii operis unquam meminisset ? Respondit ille , absterritos omnes a legum illarum sanctitate pariter , & maiestate ; quippe quæ supra captum hominum essent . Adjecit , audivisse se referentes , Theopompum , cum in suam historiam aliquid ex illis transferre tentasset , deductum ex vetustiori quadam versione parum exacta , temeritatis suæ pœnas luisse , subito correptum morbo , quo emotæ mentis ultra 30. dierum spatum factus est : morbi autem sui tandem causam intellexisse , certiorem a Deo per somnum factum , quod res Sacras & Divinas in publicum

blicum efferre meditatus non satis illas obser-
vasset. Luminibus captum Theodectum Poë-
tam Tragicum, quod in carmina sua derivare
aliquid e Sacris libris commisisset; sed agnito
errore, ac pœnitentia eluto actutum conva-
luisse.

His auditis Rex opus Sacrum ex Interpre-
tum manibus religiosa veneratione exceptit,
jussitque magna cura, & obsequio servari, lau-
datos vero scriptores, rogatosque, ut ad se
invisendum venirent identidem, ac tandem
ditissimis muneribus, tum pro se ipsis, tum
pro Sumo Sacerdote auctos, ad propria re-
misit. Hæc Aristæas, unde historiam deduxit
Josephus, quanquam ad suum genium Ari-
stæam detorquens, sicut & quas e textu Ari-
stææ ad verbum exscriptisse dicit, a) episto-
las tum Regis Ptolemæi ad Eleazarum, tum
Eleazari ad Regem stylo suo traditas refor-
mavit.

Meminit etiam versionis Septuaginta Philo
Alexandrinus de vita Mosis Lib. 2. vicissim au-
tem & Aristæam, & Demetrium Phalereum silet.
Sunt autem illi Septuaginta Interpretes viri
Spiritu Sancto afflati, qui seorsum scribentes
non in re tantum, sed in verbis etiam conve-
nisse deprehensi sunt, ut verba originalis Chal-
daei eadem voce singuli redderent; nihilque
non perfectissime respondens originali in ver-
sione

a) Antiq. Lib. 12. cap. 2. pag. 389. 390.

sione sua exprimerent; quemadmodum ex collatione utriusque textus insinuat. In reliquis Philo cum Aristæa quadrat; ut vel ab illo historicum consultum, vel historicum Philonis textum præ oculis habuisse intelligamus. Posteriorem hanc sententiam probat D. Vandale dissert. de Aristæa cap. 1. ratus facile historiam Philonis sub oculis habuisse Aristæam, cum fabellam suam scriberet: qua in re a communi omnium sententia recedit vir doctus; una enim persuasione creditur Philo Aristæam fecutus.

Idem D. Vandale ibid. cap. 1. & 6. tuetur, præter Aristææ historiam, cuius conspectum exhibuimus, alteram obtinuisse alterius Aristææ, authoris Christiani, unde narrationem suam de hac versione S. Epiphanius de ponder. & mensur. n. 9. 10. 11. derivarit. Hæc igitur S. Epiphanius: Aristæas in historia Septuaginta Interpretum refert, Ptolemæum Philadelphum bibliothecam instruxisse Alexandriæ in loco, cui nomen Bruchium, quam Demetrii Phalerei curæ tradidit. Cum autem (ait) semel Rex custodem bibliothecæ interrogasset, ecquatumnam comparasset librorum, audissetque ad 5480. multo autem plures colligi potuisse, si vertendos Græcis literis mandaret libros Æthiopicos, Indicos, Persicos, Elamisticos, Babylonicos, Assyrios, Chaldaeos, Romanos, Phœnicios, & Syriacos, & illos pariter, qui in manibus

nibus essent incolarum Græciæ (quo olim nomine Latini, non Romani appellabantur) A) Adjecit tandem esse in Judæa & Jerusalem Divinos libros, a Prophetis descriptos, de Numinis, mundi productione, aliisque rebus utilissimis tractantes, quos Rex siquidem voluisse, scriptis ad Judæos literis impetrare facile poterat.

Hæc intelligens Philadelphus epistolam dedit ad Judæos apud S. Epiphanium recitatam, rogans concedi tibi Sacros libros, ad bibliothecæ suæ decus & ornamentum. Miserunt actutum Judæi scripturas omnes suas, aureis literis exaratas, nempe 22. libros V. T. Hebraicos, sicut & 72. libros apogryphos. Hæc opera quod Hebraica essent, cum Rex legere non posset, rogavit iterum per nuncios ea de re missos, ut interpretes Græcis literis eosdem libros tradituros concederent. Novam Regis epistolam recitat pariter S. Epiphanius. Porro ambæ illæ multum discrepant ab aliis, apud Arisṭæam legendis, sicut & nuspianum apud S. Epiphanium occurrit epistola Regis ad Summum Sacerdotem, nec vicissim Sacerdotis ad Regem. Altum etiam de eodem Sumo Sacerdote apud S. Virum silentium. Milli ergo actutum 72. viri selecti, Græce & Hebraice docti, quorum sex Tribus singulæ suffecerunt, ut ho-

A) Obscurus est textus S. Epiphani. An forte iudicare vult
Græcos Italiz, sive magnæ Graciæ?

honoris prærogativa æqua singulis cederet. Verterunt autem illi libros antea transmissos ex Hebræo in Græcum; quorum versio, ut esset exactior, hac sibi præstandum cautione Philadelphus arbitratus est; jussit igitur 36. cellulas in insula Pharon fabricari, quarum singulæ binis ex eo numero viris destinatae sunt, assignatis insuper in obsequium singulorum ministris, amanuensibus pariter, ac notariis, qui dictantium verba compendiariis notis exciperent. Lucem accipiebant cellulæ ex aperto in superiori parte hiatu; fenestris enim, ne quid cum accedentibus extra haberent commercii, carebant. In singulis cellis vertendus singularis liber tradebatur, ut e.g. primæ cellulæ bini Interpretæ libro Genesis adlaborarent; secundæ libro Exodi, & sic de singulis. Exactum vero prima cellula opus ad secundam transmittebatur, accepto vicissim ab illa libro Exodi, quo iterum verteretur. Factum inde, ut universa Scriptura 36. vicibus ex integro Græce redderetur; singuli enim Scripturæ libri in gyrum per singulas cellulas transmittebantur.

Intra claustra a mane usque ad vesperam perseverabant; ad vesperam autem 36. distinctis cymbis, singulæ singulis virorum paribus, vecti transmittebantur in aulam, una cum Rege cœnaturi. Post cœnam bini in singulis conclavibus cubabant. Mane eadem cautione iterum ad opus.

Ab-

Absolutis omnibus, Rex throno assidens, legi sibi a 36. lectoribus, singulis versionis Græcæ exemplar tenentibus librum audivit. Erat & distinctus alias lector originale Hebraicum conferens. Cum unus elata voce legeret, alii versionem suam cum lectione confe-rebant; factumque est Divino plane miraculo, quod versiones omnes ita convenient, ut si quid detruncatum in textu alicujus Interpretis, vel adjectum deprehenderetur, paria etiam spectarentur in aliis; detractum vero nihil esset, quod re ipsa non censeretur superfluum. Luculento hoc argumento universo cœtui persuasum est, viros illos afflante Spiritu Sancto scripsisse. Secundum hæc recondi libros in bibliotheca *Bruchium*, quæ veluti mater secundæ alterius, *Serapæum* dictæ, habebatur, Rex imperavit. Ad secundam illam bibliothecam amandati sunt deinde plures alii libri, ac potissimum versiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis post 250. annos adornatæ.

Quæ inter hanc S. Epiphaniæ & Aristææ illam historiam spectatur discrepantia, argumen-to est apertissimo, alia viro sanctissimo ad manus fuisse, quam hodie vulgata sint, Aristææ exemplaria. Non aliis quam S. Epiphaniæ usi videntur S. Justinus Martyr admonit. ad Gent. S. Irenæus, & S. Augustinus de Civ. Dei Lib. 18. cap. 42. Sicut vicissim vulgaribus

Josephus, & Eusebius Præpar. lib. 8. ac tandem S. Irenæus lib. 3. cap. 25. S. Clemens Alexand. Strom. lib. 1. & Tertullianus Apologet. cap. 18. pag. 17. breviores sunt, quam, ut unde hæc deduxerint, historiam designent.

Hæc autem S. Justinus : Ptolemæus Rex Ægypti certior factus servari apud Judæos Hebraice scriptos gentis illius commentarios, accitis e Jerusalem 70. viris Græcc & Hebraice doctis, vertendorum illorum librorum negotium commisit. Quo vero expeditius, & majori otio rem perficerent, omnes misit in insulam Pharos, inclusos cellulis, quot erant numero viri ; ne quidquam scilicet secum ipsi communicarent, ac de fide singulorum certiori argumento doceretur. Porro illi tam uniformia scripsisse inventi sunt, ut non verba tantum eadem apud omnes recurrerent, sed & verborum numerus esset in omnibus idem ; quod maximæ fuit Regi admirationi, ejusque munificentiam excitavit, ut ditissimis muneribus ornatos summo honore ad propria remitteret. Ita autem reputavit Ptolemæus, nunquam sine Divino prodigio tam felix opus absolutum fuisse ; quare summa religione Divinos illos libros observans, in sua bibliotheca Alexandrina Deo consecravit. Addit vir Sanctus, se, cum Alexandriæ versaretur, in insula Pharo spectasse cellularum ruinas, quas olim cellulas tenuerant Interpretes.

In secunda sua Apologia multum plane ab his discrepat vir Sanctus, de versione illa habens sermonem; narrat enim, Regem Ptolemaeum parare instructissimam bibliothecam cogitantem, certioremq[ue] factum, servari apud Hebræos Prophetarum libros quam plures, communicari sibi, datis ad Herodem Judæorum Regem literis, illos postulavit. Misit actutum Herodes: sed cum, Hebraice scripti, nulli essent Ptolemæo usui, mitti iterum postulavit viros, vertendis Græce libris idoneos. Quibus ab Herode missis, versos deinde libros Rex in bibliotheca reposuit; sunt autem (ad-dit) hodie usque in Judæorum manibus.

Non Græcam tantum versionem, sed & Hebraica originalia in Regia hac bibliotheca deposita, insinuare videtur Tertullianus Apologet. cap. 18. *Hodie apud Serapeum Ptolemæi bibliothecæ cum ipsis Hebraicis literis exhibentur.* Meminit etiam septuaginta cellularum pro numero Interpretum S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 4.

Facile, quantum arbitror, intelligimus historiæ hujus apud varios Patres authorem fuisse unum eundemque Aristæam, quamquam variis apud varios circumstantiis narratio vesticur. Insigni autem anachronismo errat S. Justinus Martyr, missos ferens a Ptolemæo ad Herodem viros, ut ab illo Sacros Judæorum libros impetrarent. Testatur Philo de vita Moysis

Lib.

lib. 2. pag. 658. penes Summum Sacerdotem Judæorum Sacram & civilem potestatem fuisse; quod cum historia Judæorum plane non congruit; parebant enim tum Ægypti Regibus. Nec minus oscitanter scripserunt S. Clemens Alexandrinus, & S. Irenæus, Judæos ejus ætatis paruisse Regibus Macedonum, seu potius Regibus Ægypti, Alexandri Magni successoribus.

Adeo vero parum congruunt narrationi Aristææ, Josephi, Philonis, Eusebii, aliorumque post ipsos, quæ de 36. cellulis apud S. Epiphanium, vel 72. apud Justinum Martyrem, S. Cyrillum Jerosolymitanum, S. Irenæum, S. Augustinum, & S. Chrysostomum leguntur, ut alterutros deferere necesse sit. S. Hieronymus ad fabellas ne dubius quidem, cellularum commenta rejicit: *Nescio quis primus author septuagina cellulas Alexandriæ mendacio suo extraxerit.*

Utrumque Talmud Jerosol. & Babyl. tit. Megillat. 72. cellularas agnoscit; sed asserit Regem Ægypti accitos a se 72. senes in singulis singulos clausisse, quid a se Rex exigeret, ignoros. Inclusis deinde singulis mentem suam aperuisse; sed Deum ita singulorum calamum, mentemque direxisse, ut paria singuli scriberent.

Samaritani, qui moribus suis Judæos exprimere nunquam non studuerunt, referunt in suo chronico, Philadelphum Alexandriam

appellasse Aaronem Summum gentis suæ Sacerdotem , cum viris ejusdem gentis selectissimis ; simul autem accersisse Doctores Judæorum , cum Eleazaro Summo populi Sacerdote ; quo scilicet utriusque legem Dei ex Hebræo in Græcum vertendam suscipierent . Cum autem adorna ta a Samaritanis versio ab altera Judæorum certis quibusdam in locis discreparet , Rex iudicio suo Samaritanorum opus probavit ; quos pariter ingentibus auxit muneribus , interdictis vicissim Judæis , ne Sacrum Garizim mon tem pede contingere auderent .

Tanta sententiarum rerumque inter Aristæam , S. Epiphanium , S. Justinum , Talmudistas , & Samaritanos varietas argumento est apertissimo , non circumstantias tantum , sed & historiam ipsam fidei esse sublestæ ; quod ipfissimum est doctissimorum criticorum iudicium . a) Porro viri illi docti , cæteris aliis rejectis , deprehendisse se confidunt in Aristæa plura genuinis historiis plane repugnantia . Ita e. g. cum Aristæas afferit , versionem hanc adornatam sub Philadelpho filio Ptolemæi I. filii Lagi : Sed Irenæus lib. 3. cap. 21. nov. edit. Ptolemæum Lagi præfert ; & S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. afferit , ab aliis quidem sub filio Lagi , ab aliis sub Philadel pho

a) Bellarm. de Verb. Dei lib. 2. cap. 6. Masius Præfat. in Græc. Josue. Reuel. in lib. 3. de arte cabalistica. Joseph. Scaliger. Henric. Vales. Humfred. Hody. Vandale , & alii passim.

pho assignari. Author est Vitruvius, a) bibliothecam Alexandrinam non nisi post alteram Artalorum Regum Pergami cœpisse; vivebant autem An. M. 3835. & quo tempore Aristophanes Byzantinus florebat, nempe sub Ptolemæo Evergete, sive Ptolemæo Epiphane ejus successore. Porro Philadelphus pater erat Evergetis, & avus Epiphanis.

Non ergo sub Philadelpho bibliotheca Alexandrina cœpta est instrui; erat enim Philadelpho ipso recentior. Usserius de Septuaginta Interpp. & post ipsum Bochartus de Animal. Sacr. lib. I. cap. 18. pag. 226. n. 30. 40. contendit, versionem Septuaginta Epiphane, & Evergete etiam recentiora tempora spectare, nec nisi post Philometorem, uti supra demonstravimus, paruisse. Eorum tamen nec rationes adoptamus omnes, nec epochas, nec adscriptiones temporum, sed recitamus tantummodo, quo ad sensum demonstretur, quantum mereantur fidei ea omnia, quæ de versione Septuaginta a Ptolemæo Philadelpho procurata narrantur.

Aristæas, & cæteri, qui authorem illum b) sequuntur, ita de Philadelpho agunt, quasi de Principe religiosissimo æque, & legis Dei cognoscendæ studiosissimo, cui ad virtutes morales, & politicas nihil esset reliqui: sed pro-

T 3 pha-

a) Architect. Praefat. in lib. 7. Vide Vandale de 70. Interpp.
b) Vide Philonem lib. 2. de vita Mosis. Epiphan. de ponder. & mensur.

phanorum authorum quicunque melius nosse virum poterant, ipsum tanquam corruptissimum hominum depingunt, impium, omnia in licentiam frœna laxantem, qui fororem suam duxerit uxorem, geminos fratres interemerit, concubinarum greges aluerit, a) in superstitionem Serapidis ferretur impotenter, conseruare inter Deos fororem suam & uxorem Berenicem post ejus mortem tentaverit. b)

Demetrius Phalereus, quem Aristæas bibliothecæ Alexandrinæ custodem assignat, cuius, si virum illum audiamus, insignis erat pietas, & in legem Dei obsequium, ut ad Regem Ptolemæum diceret, Divinam hanc esse legem, quam proinde nemo uspiam neque poëta, neque historicus aliquis prophanus in sua scripta derivare potuerit; Demetritis (inquam) iste vir erat crapula potens, c) ad excessum prodigus, turpibus, obsecnisque amorous implicitus, effeminatus, fucatus pigmentis, facie pariter & coma unquento delibutus, & quo tempore rempublicam Athenensem moderabatur, legumque urgebat observantiam, ipse tamen licentiæ, & crapulæ totus erat addictus. Invitus tandem Athenis sese proripiens, Thebas primum confugit, tum in Ægyptum apud Ptolemæum Soterem filium Lagi, Philadelphi patrem, ubi longo temporis

a) Tausanias lib. 1. seu Attic. pag. 12. Athenæus Diplosoph. lib. 13. b) Ilin. lib. 34. cap. 14. c) Duris lib. 6. Attic. apud Athenæum lib. 12. Diplosoph.

ris spatio mansit. a) Author fuit Soteri ut filii suis ex Euridice regni hæreditatem relinquenteret : sed ille Philadelphum prætulit ex Berenice natum. Quare post obitum patris Philadelphus rerum potitus, Demetrium egit extorrem , atque sub custodia detineri præcepit, quoad usque aliter de illo disposeret.

Exiliij tædium non ferens Demetrius , aspidis morsu exitum sibi exilii pariter & vitæ procuravit. b) Hæc Hermippus apud Laërtium , & Suidam. Quis porro credat , Philadelphum bibliothecæ iuæ curandæ munus Phalereo commisisse ? Bibliothecæ (inquam) tanto librorum numero instructæ ? ejus favore Principis pollere potuisse virum , & eo usque pollere, quo Aristæas designat ? virum scilicet illum , qui transferre a Philadelpho in alterum regnum molitus fuerat ? Quomodo hæc omnia cohærent cum viri exilio , de quo tam expresse Hermippus apud Laërtium , Suidam , & Ciceronem , c) non uno in loco ?

Negotium etiam in historicum facessunt ex numero voluminum , quæ comparasse se Demetrius venditabat ; ad 200000. enim se collegisse dictans , eum etiam numerum ad 500000. se aucturum pollicebatur. S. Epiphanius eum numerum reformat ad 54800. Jo-

T 4 sephus

a) Hermippus apud Laërtium lib. 51. Ita & Suidas in Demetrio. b) Cicero pro Rabir. Aspide ad corpus admota , vita esse privatum. Laërt. loc. cit. c) De finibus lib. 5. & orat. pro Rabiro.

sephus Gorionides minuit, reddens 995. quibus (addit ille) quinque alia jungere Rex ille optavit, ut chiliadem haberet. Verum fugerentes Aristæas & Andreas, ut Sacros Juðorum libros vertendos committeret, certum illum numerum provexerunt. Aulus Gellius lib. 6. cap. 17. in bibliotheca Alexandrina, quo tempore sub Julio Cæsare sœiente bello Ægyptiaco arsit, recondita dicit ad 700000. voluminum; Seneca^{a)} habet 400000. Constat autem post Ptolemæum Philadelphum usque ad ea tempora plura accessisse bibliothecæ illi volumina. Inconstans hæc de numero librorum narratio, cum maxime fatis repugnet historiis cæteris, conjecturam adversus ejus historiæ sinceritatem suppeditat. Unus est enim & uniformis veritatis character.

Si quis in unam pecuniæ summam conferat quidquid a Ptolemæo auri impensum est in ea versione procuranda, ad 1200. talentorum supputabit, quibus conficiuntur librarum 288000. pro singulis talentis 2400. libris computatis; quæ pecuniarum immensa vis est pro ea re & ætate. Subolet etiam fabellam festum illud institutum a Philadelpho, ut memoriam rei felicissimæ, nempe receptorum librorum, perennaret; sicut etiam non nisi errando asseruit Aristæas incidisse pariter

^{a)} Senec. de tranquill. animi cap. 9. *Quadringenta millia librorum Alexandria arserunt, pulcherrimum Regie opulentiae monumentum.*

riter in eam diem triumphum acceptæ a se novalis victoriæ in Antigonom, sive quod eadem die exceptum fuisse nuncium ejusdem victoriæ, sive quod annua ejus recurreret memoria; neque enim ad Ptolemæum Philadelphum referenda est victoria illa, sed ad Ptolemæum filium Lagi, ejus patrem, qui post devictum Antiogonum ad 22. annos vitam prorogavit.

Fabulam etiam demonstrat persona, quam in universo opere illo ludit Aristæas; ita enim se exhibet, quasi ortu & religione paganum; cum interim in singulis paginis Hellenistam se Judæum præferat, nec veri Dei, nec legum ignarum. Hebraismis stylus ejus undique scatens, inter Hebræos adolevisse virum prodit. Scriptæ a Philadelpho ad Eleazarum, sicut vicissim ab Eleazaro ad Philadelphum literæ, ac tandem supplex Demetrii Phalerei libellus eundem stylum sapiunt; quæ tamen ex originali tunc descripto accepisse se Aristæas profitetur. Quis plane non sentiat suppositionem, cum fieri vix possit, ut tria variorum authorum scripta stylum habeant uniformem? Supplex ille Phalerei libellus, ut pote scriptoris elegantissimi, & purissimi eloquii, nihil tamen refert dignum tanto Theophrasti discipulo. Ex his omnibus recta consecutione deducitur, Aristææ ferme omnia suspiciofa esse; & multo etiam minus persuadibilia tradidisse S. Epiphanius, & S. Justinum

Martyrem ; & proinde quæ ex historiarum hujusmodi authoritate deducta sunt ad probandum Divinam versionis hujus inspirationem, falsa esse , vel saltem incerta.

Primi illi authores , qui de Septuaginta haberunt sermonem, nihil referunt, nisi de versione legum Judaicarum , nempe totius Pentateuchi. Aristæas libros Propheticos , & historicos filens , lectas tantum narrat coram Rege *Scripturas Legis.* Nec plura Philo ; Joseph. vero procem. antiq. asserit , non omnes scripturas, sed libros tantum Legis Regi communicatos ; quod opportune animadvertisit S. Hieronymus in Ezechiel. cap. 5. & Mich. 2. Aristæas (inquit ille) Josephus , & omnis Judæorum schola asserit versos a Septuaginta tantum quinque libros Moysis. Et in Michæam scribens dicit , textum Septuaginta loci illius, quem discutit, adeo ab Hebræo discrepare , ut frustra conciliarentur ; si tamen (addit ille) versio ista Septuaginta tribuatur, quibus non nisi legis versionem deberi asserunt cum Josepho Judæi. Ubique autem alibi cum universæ Scripturæ versionem tribuere videtur Septuaginta , semper dubitans loquitur.

Patres nihilominus, A) & vulgo Christiani scriptores de veritate historiæ Septuaginta persuasi, tenent , V. T. Scripturam omnem (nempe libros Hebraice scriptos) viris illis deberi.

Do-

A) S. Iren. Tertul. Clem. Alex. Epiphan. Hilar. Aug. alii passim.

Docet insuper S. Ephiphanius de ponder. & mensur. præter Sacros libros Græce pariter ab illis redditos 70. vel 72. libros apogryphos (facile illos de quibus in 4. Esdr. a) Nec eo numero contentus Cedrenus asserit, Græce ab illis reddita ad 100000. librorum Chaldaice quorundam, aliorum Hebraice, Ægyptiace, & Latine scriptorum. Addit in versione Hebraicorum impensos 72. dies: rotundum numerum, nempe 70. servant Ariætas, Eusebius, & S. Cyrius Alexandrinus.

Constat profecto versionem Pentateuchi multo exactiorem esse, quam cæterorum Scripturæ librorum, b) ut distinctum Interpretem apertissime prodant. Discrepant profecto in ratione ejusdem Hebraicæ vocis reddendæ, in versionis adornandæ methodo, cum alii literæ textus religiose inhæreant, alii liberiorem ament versionem; non raro in textu originali aliter legerunt, ac nos hodie; quorum lectio nostra interdum correctior est, interdum minus. Consule ea de re ingens opus Ludovici Capellii, inscriptum *Critica Sacra*, in quo, infinitis pene congestis exemplis, recessisse frequenter Septuaginta ab originali textu demonstrat. Criticorum alii, uti D. Clericus, c) animadvertisunt, non

ra-

a) 4. Esdr. 14. 45. 46. Postiores vero 70. conserva, ut tradas eos sapientibus in populo tuo: in his enim est vena intellectus & sapientiae fons, & scientie flumen. b) Hieronym. prolog. in qq. Hebraic. in Genes. Quos nos quoque confitemur plusquam ceteros cum Hebraicis consonare. c) Comment. in Pentateuch. & in libres historicos in Indice V. Septuaginta.

raro illos fortuito casu , & per conjecturam vertere ; inconstantes esse maxime in reddenda una eademque originalis voce ; addere interdum , emendare , truncare aliquid e textu, certas non semel voces omittere , aliquas supplere ; textum illum frequentissime corruptionem præferre , glossematis inferciri : quæ quidem omnia vitio interpretationi illi verterat S. Hieronymus non semel.

In pluribus Scripturæ libris , sive Septuaginta , sive eorum amanuenses ordinem turbarunt adeo , ut causam ejus rei nemo divinaverit. Occurrunt in Pentateucho loca , ubi plenior eorum textus , effusior quam Hebraicus Judæorum ; alia vicissim , in quibus textus Samaritanus potius , quam Hebræus præfertur ; a) Unde viris doctis suspicio nata , b) in versione sua illos expressisse textum Samaritanum ; alii vero Samaritanorum textum ad Septuaginta recensitum ; alii tandem ex pluribus inter Hebraicum textum , & eorum interpretationem variantibus suspicati sunt , præ oculis habuisse illos Chaldæum , c) vel Syriacum . In libro Josue plura addunt urbium nomina , quæ frustra in Hebræo . Vide Josue 15. 59. & 21. 36. 37. In libris Regum , Proverbiorum , Ecclesiastæ , Job , & Prophetarum ordo turbatus maxime , &

va-

a) Vide Genes. 4. 8. & 19. 12. & 20. 16. & 23. 2. & 24. 55. 62. & 26. 18. & 29. 27. & 35. 29. & 39. 8. & 41. 16. 43. & 43. 26. & 49. 26. Exod. 8. 3. &c. b) Selden. Postell. apud Vandal. c. 22. in fine, c) Phil. I. 2. de vita Moyfis. R. Azarias I. Imre Binach.

variata plura; quarum rerum congruas rationes nemo adhuc usque tradidit. Ordo etiam in minoribus Prophetis in Hebræo servatus, alter est in Septuaginta. Quarum sane immutationum tanta est antiquitas, ut in vetustissimis etiam Mss. appareant, sicut & in editione Romana omnium absolutissima, in qua tamen critici nonnulla observant, ab iis, quæ ex Septuaginta laudarunt Patres, discrepantia. Vide Serar. proleg. cap. 17. q. 21. Bonfrer. præloq. in S. Scriptur. cap. 2. sect. 8. Morin. exercit. 9. cap. 3.

Nihil hic ego addendum censeo de notissimis illis additamentis in exordio Geneseos, in quo Patriarcharum ætatem adeo Septuaginta deformarunt, ut, juxta eorum supputationem, mundi ante JESUM Christum duratio 2000. annis major esset, quam ferat textus Hebreicus. a) Hæc porro non casui, neque errori amanuensium credimus referenda, sed industria adducta sunt a scribentibus; quanquam plura alia occurrunt, sive audaciæ, sive incurriæ amanuensium deputanda; quæ facile emendarentur, si quis vellet variis collectis lectionibus optimas feligere, ut textum restitueret.

Tredecim varia loca a Septuaginta de industria variata designant Judæi; b) sed certo

a) Ab exordio mundi usque ad JESUM Christum supputamus 4000. annos, cum juxta Septuaginta recensendi essent 5856. Diluvium consignamus juxta Hebraum ad annum 1656. & juxta Septuaginta ad 2256. b) Talmud Jerosolym. tit. Megilla. Item Talmud Babyl. sub eodem tit.

to hoc numero multum abest, ut credamus complexos illos ingentem inter duos hosce textus variantium farraginem. Aliquid sibi asserendum censet S. Hieronymus, prolog. in Pentateuch. ad Desider. quodsi valido inniteretur argumento, fidei Septuaginta plurimum labis inferret; contendit enim viros illos doctos parum consonam interdum originali interpretationem secutos, metu, ne mysteria pagorum auribus importabilia revelarent. Ita cum loca aliqua nacti essent, ubi de Patre, Filio, & Spiritu Sancto apertior mentio, metu, ne de multiplicitate Deorum accusarentur Judæi, rem totam omiserunt, sive alio sensu reddiderunt. Hujus assertionis suæ documentum exhibet illis verbis textus: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, quæ apud Septuaginta desiderantur.

Sed hanc S. Hieronymi regulam generaliter veram non esse fateamur oportet; & si quando vim originalis textus minus referunt in sua versione, adscribendum id sive rei obscuritati, sive scientiæ defectui potius, quam ex industria factum credimus. Vir ipse Sanctus in Isai. 17. observat, plurimum intercedere discriminis inter munus prophetandi, & interpretem agendi, plurimum etiam cum interpres agitur ante Christi, & post ejus adventum. *Illi interpretati ante adventum Christi, & quod nesciebant, dubiis prætulere*

sen-

Sententiis ; nos vero post passionem & resurrectionem ejus, non tam prophetiam, quam historiam scribimus.

Idem Vir Sanctus in Isai. 17. alibi observat, Septuaginta interdum parum exacte vertisse, ne gentis suæ probra, & minorem in Deum fidem proderent. Alio in loco a) defendit, cavisse illos sedulo, ne Sacra Scripturarum mysteria, & quæ maxime ad JESU Christi ortum pertinent, revelarentur Philadelpho, viro Platonicis mysteriis initiato; metuentes insuper, ne occasionem darent pagano illi suspicandi, Judæos secundum Deum aliquem credere. Alibi etiam b) absterritos illos dicit, ne redderent verba illa textus: *Vocabitur admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Qua nominum maiestate, ait, perterratos Septuaginta, reor non esse ausos de puerō dicere, quod aperte Deus appellandus sit.* Addit, c) eos præceptorum Ecclesiæ Christianæ consensu prorsus destitui in versione Danielis, qui præferendam editionem Theodotionis, parum emendatæ Septuaginta reputabant.

Tan-

A) In Prolog. quæst. Hebraic. in Gen. Vide in Isai. cap. 2. pag. 30. nov. edit. B) In Isai. 8. ad fin. lib. 3. pag. 86. C) In Daniel. 4. pag. 1088. nov. edit. & Apolog. contra Rufin. lib. 2. pag. 431. Quorum (Septuaginta) si in isto libro editionem dixi multum a veritate distare, & recte Ecclesiarum Christi judicio reprobatum, non est meæ culpa, qui dixi, sed eoru[m] qui legunt.

Tandem observat , A) Evangelistas & Apostolos, cum sententiam aliquam Scripturæ laudant, si nihil est inter Hebræum , & Septuaginta discriminis , plerumque seu verba ipsa Septuaginta referre , vel sensum ; si quæ autem est inter utrumque discrepantia , tum Hebraicum præferre . Claudit hæc omnia tandem : *Æmuli nostri doceant assumpta aliqua de Septuaginta testimonia , quæ non sunt in Hebræorum literis , & finita contentio est.*

A) In Isai. lib. 15. Proœm. & Apologet. 2. contra Rufin.

FINIS TOMULI QUARTI.



INDEX DISSERTATIONUM
TOMI IV.

Dissertatio de Thesauro a Davide
Salomoni relictis.

Dissertatio de Templis veterum.

Dissertatio, quid Naaman concedi sibi
postulat ab Eliseo, ut coram Idolo
Remmon se se prosternere liceat?

Dissertatio de retrogradatione Solis in
horologio Achar.

Dissertatio de Praefectis Aulae, & Mi-
litiae Regum Hebraeorum.

Dissertatio de Regionibus, in quas De-
cem Tribus Israël traductæ sunt, &
quem potissimum Iccum nostra ætate
teneant.

Dissertatio in tertium Librum Esdræ.

Dissertatio in quartum Librum Esdræ.

Dissertatio, An Esdras scripserit, sive
restauraverit Libros Sacros?

Dissertatio, An Esdras veteribus cha-
racteribus Hebraicis Chaldaicos sub-
stituerit?

Dissertatio de versione septuaginta In-
terpretum.



MUNICIPALIS ET ALIIS

ANNO 1570.

DECRETUM CIVITATIS FLORENTIAE.

CONCERNENS VITAM ET MORTALITATEM

ET MORTALITATEM IN CIVITATE, ET TERRITORIIS

ET TERRITORIIS A CIVITATE DETERMINATIS,

Sicut etiam de mortaliitate

et mortalitate in territoriis

et territoriis a civitate determinatis.

ET CONCERNENS VITAM ET MORTALITATEM

ET MORTALITATEM IN CIVITATE, ET TERRITORIIS

ET TERRITORIIS A CIVITATE DETERMINATIS,

Sicut etiam de mortaliitate

et mortalitate in territoriis

et territoriis a civitate determinatis.

ET CONCERNENS VITAM ET MORTALITATEM

ET MORTALITATEM IN CIVITATE, ET TERRITORIIS

ET TERRITORIIS A CIVITATE DETERMINATIS,

Sicut etiam de mortaliitate

et mortalitate in territoriis

EXCLVS.

